IOANNIS ALBINI LVCANI

DE GESTIS REGVM NEAPO. AB ARAGONIA QVI EXTANT LIBRI QVATVOR.

CVM PRIVILEGIO.



NEAPOLI

APVD IOSEPHVM CACHIVM

M. D. LXXXVIIII.



ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO D. IO. HIERONYMO AQVEVIVO ADRIAE DVCI.

OCTAVIVS ALBINVS. V. I. D. S. P. D.

RERVM nostrarum historiam Hieronyme Dux Excellentiss. eorum præsertim temporum, quibus Ferdinandus senior Aragoneus Regno potitus est, utpote rerum gestarum magnitudine, ac varietate quàm maximè insignem & scriptorum penuria vel omnino, vel maxima ex parte minimè cognitam ab omnibus palam expeti & summopere desiderari videmus. Horum cùm pauca quædam Ioannes Pontanus suis de bello Neapolitano libris perstrinxisset, cætera Ioanni Albino patruo magno meo, uiro eorum temporum eruditissimo, et ipse sæpenumero viuens reseruasse profitebatur, et Sannazarius noster lepediss. hoc carmine testatum reliquit.

Et qui Pieriis resonat non vltimus antris
Albinus referat principis acta sui

Fuit autem Albinus fidei ac doctrinæ singularis, adeo vt eo nomine Alfonso II. Ferdinandi filio tunc Calabriæ Duci in primis carus, omniumq; horarum domi, mi

litiaq; comes tum grauioribus illius pacis, belliq. negotijs, tùm priuatæ bibliothecæ vnus omnium qui tunc Regia in aula versabantur præpositus fuerit. Is quotquot eo tempore vel intra uel extra Regni fines sub ipsius Alfonsi auspicijs bella gesta sunt iucunda quadam breuitate complexus, nihil quod optimum decet historicum prætermisit, cùm præter exculti stili elegantiam, fides in eo desiderari minimè possit, qui rebus à se scriptis vel præsens interfuerit, uel eas ipsiusmet Alfonsi relatione didicerit. atq; utinam quæcunq; scriptis ille mandauit uel temporum iniuria, vel suorum incuria aliqua ex parte non nulla cum hominum iactura non deperissent, uel ipse per eorum Regum occupationes maiore otio frui, aut quæ scripserat in lucem edere potuisset, nam vel perfectam, luculentamq; suorum temporum historiam haberemus, uel saltim tertium, quartumq; ex his quos scripsit libros non desideraremus. Ego verò vt communi omnium desiderio satisfacerem, simulq; hominis tanta mihi necessitudine coniuncti memoriam posteris reuocarem, cùm horum librorum reliquias sparsim à maioribus meis acceptas in vnum colligere & typis præterea mandare sæpenumero cogitassem operæpretium me facturum existimaui tum ad conciliandam historiæ fidem, tum ad mortalium ingenia promerenda si nonnulla eorundam Regum secretiora mandata, epistolas, diplomata licèt Italica lingua conscripta vna simul imprimenda curarem. hæc enim qui histo-

storiarum lectione delectantur mirum in modum placitura speraui, cùm ex his & quæ ex Albino deciderant maxima ex parte restitui, & quæ supersunt planius, liquidiusq; cognosci facile poßint. Accessere etiam frequentes eruditißimorum virorum hortatus, qui de eorum omnium editione sæpius mecum egerunt, ea non sine magna auctoris laude per hominum manus asseuerantes vagatura: quorum acri iudicio non acquiescere sanè non poteram. Itaq; cùm tandem Albini labores proferre constituissem tibi Dux Excellentiß. dedicatos volui, tùm quod tu nostrorum Procerum vnus ad Illustriß. sanguinis nobilitatem, dominatusq. amplitudinem exactam rerum, scientiarumq; omnium cognitionem gentilitiam sanè & quasi per manus tibi à maioribus traditam addidisti, tùm quòd in his nonpauca Auorum tuorum præclara facinora æternitati commendata leguntur. Postremo quòd te Albini mei quem à te tantopere probari intellexi pro tua summa dignitate, atq. humanitate acerrimum, fidißimumq. patronum, et defensorem futurum, et non paruam ab ingenti tuo nomine auctoritatem hisce libris accessuram spero, atq; confido. Tu igitur hoc Albini opus sub auspicijs tuis emissum, atq; tuo præclariß. nomini mancipatum (exiguũm licèt munus et tuæ amplitudini planè impar) hilari fronte suscipere, meq. inter deditißimos clientes tuos admittere & connumerare ne dedigneris. Vale Neap. Kal. Iul. M. D. L X X X I X.

FABII

FABII IORDANI IVRECONS. CLARISS. ET REGII HVIUS OPERIS CENSORIS.

IN IOANNEM ALBINVM

QVI fuit Alfonsi Albinus pars magna secundi,
Pacis & assiduus, militiaq; comes.
Per varios idem casus, per bella, per enses
Principis ipse sui fortia facta refert.
Seu valido Hetruscos tremefecit milite campos,
Turcica seu forti contudit arma manu,
Seu bene ad Eridanum Venetos, seu Romula fudit
Agmina, seu patrio victor ab hoste redit.
Addit & extremos natiq;,patrisq; labores,
Pulsaq; Chalcidico Gallica signa solo.
Multa cliens studio meruit, sed plura quòd illos
Æterno historicus uindicat interitu.

INDEX

INDEX EORVM QVI IN HAC HISTORIA RECENSENTVR.

Ari-

Ciccus

Hector

Orpheus

H

Errata fic corrigenda. Prior numerus Paginam. posterior lineam indicat.

4	6	Ex templo	Extemplo.
4	14	inderupta	in derupta.
5	18	armorum	armatorum
9	14	assumens	absumens
Ibidem		haut locis	haud ignobilia locis.
10	8	substinuisse	sustinuisse.
16	9	cooscleret	consereret,
23	4	vt tam	ex tam
25	23	nitebatur	nitebantur.
27	1	assumitur	absumitur.
30	6	mereccnnarius	mercenarius
31	24	assumpto	absumpto
33	11	dissiminaretur	disseminaretur.
36	6	nrbs	vrbs.
46	15	obseruatam	ob seruatam.
57	12	arderat	ardeat
61	27	Coppula	Copula
65	33	Coppula	Copula.
70	17	scit è	scitè.
73	6	propius libertate	propius periculo libertatem & vitam sæpissima iudicauit.
77	12	quàm	quam.
83	9	Numento	Nomento
89	25	Spinaccola	Spinaceolas
91	14	assumere	absumere.
93	16	protenderet	portenderet.
97	15	expescere	exposcere.
109	20	prolabsos	prolapsos
110	13	Calnxum	Calxnum
112	15	fortuua	fortuna
113	3	coiesse	coisse
124	24	in interdum	interdum;
130	22	inopi tam	iam
156	20	esudatos	exudatos
157	26	Regnum	in Regum
160	33	suberbum	superbum.

Imprimatur.
Flam. Torcell. Vic. Gen. Neap.

Jo. Franciscus Lombardus vidit.

IOANNIS

IOANNIS ALBINI LVCANI DE BELLO HETRVSCO ALFONSI II. ARAGONEI DVCIS CALABRIAE LIBER PRIMVS.

IN administratione rerum publicarum inter patricios viros occulta odia, & sæpissimè varia cædis genera extiterunt. Ita generi hominum natura datum est ob innatam rerum gerendarum cupiditatem, & libidinem, vti primum locum iure, vel iniuria quisque tueatur: hinc dissentiones, exilia nata. hinc belli furor, & postremò summa Imperia corruerunt. Ex quo quantum sit sanguinis effusum ex annalium memoria satis deprehendi potest. Miseræ sunt igitur, et minimè diuturnæ administrandarum vrbium conditiones, in quibus hominum

studia, ac uoluntates dissentiunt: et diligentia occultarum simultatum plena non ad ciuium salutem, et Reipublicæ conseruationem, sed ad struendas insidias penitus incumbit. Lucius Sylla furore, atq; animi cæcitate Publium Sulpicium ciuem patriæ salutarem oppresſit. Caium Marium acerrimum Romanæ libertatis custodem ex vrbe eiecit, clarisſimos viros Vrbis lumina fœdisſima morte necauit. Sed quid maiorum exempla vetustate iam obruta altius repetuntur? quid ciuium diminutio, & Romanæ Reipublicæ calamitas tàm longè commemorantur? quorum memoria effusis crinibus adhuc Roma suspirat, & gemit. Ciuiles etenim dissentiones quantos labores, luctusq; afferant etsi prisca ætas uehementer indoluit, posteritas tamen nefariam eius seculi conspirationem, qua Florentia tot ciuium cruore immaduit, perpetuò meminerit.

Laurentius, cui Medices fuit cognomento, ciuis Florentinus, qui tùm auctoritate, atq; opibus longè primus erat, spectata fide more maiorum salutaribus consilijs, ac diligentia, ita constituendæ suæ Reipublicæ, ac libertati ab ineunte ætate inuigilauit, vt nihil sine illius consilio in Senatu decerneretur. propterea quòd omnia ad communem vtilitatem referebat, et omnes seditionum vias (quod optimi ciuis est) intercludere solebat. Pacciorum verò familia alterius factionis, genere non inferior, tamen ob detestandam insolentiam omnis digni-

tatis

tatis expers illum prauo odio prosequebatur. Iacobus Paccius, eius familiæ caput, vehementis ingenij vir LXX. ferè annum agens ægrè passus, nullum sibi in ordine Senatorio relictum esse locum, statuit tàm insignem notam nullo pacto vltra ferre. FACILE etenim labuntur mortales ad omne facinus subducta ratione, suntq; eorum ingenia prona ad inuidiam, qui fortunas generi, atq; animis æquare non possunt. Inito igitur consilio cum Sixto IIII. Pontifice Maximo, Hieronymo Riario hominum inquinatissimo impulsore, Medicen in primis, omnemq; eius familiam è medio tollere, maiorum instituta delere, et Senatum occupare moliuntur: quod facillimè fieret Medice sublato: nec defuère ad id homines nefarij, qui ingentibus promissis ab Riario onerati conficiendæ rei summa taciturnitate studerent, quòd post nauatam operam non parua merces erat futura. ADEO mortalium animos cogit, præcipitatq; ad omne flagitium cæca auri cupiditas. Sed immortalem Deum tàm inauditum facinus, quo diuina, & humana sedes est violata rectis oculis inspexisse pleriq; mortalium satis superq; admirantur. In Templo Floræ (ita scelerum auctores composuerant) inter publicas cæremonias Francischinus Paccius, & Bernardus Bandinus ciues nefarij Iulianum Laurentij fratrem pro religiosissimis Deorum immortalium aris tribus vulneribus confecerunt. Sub idem etiam tem-

pus cæteri audaces percussores ibidem Medicen gladijs adoriuntur: quem duobus vulneribus secundum aurem acceptis, sacerdotes in tanto tumultu fustibus, ac clauis è manibus parricidarum vix ereptum, in penetrali abdiderunt. quem horribilem casum non modo homines, verùm vrbis tecta deflere videbantur. Ex templo ex ingenti clamore tota vrbe fama percrebuit: hostiatim à populo veluti repentino icto furore in Fanum concurritur. Iuuenum manus in forum prosiliens telum, & quodcunque sors obtulisset arripuit. Medicæ primùm parenti libertatis, (quod Deorum immortalium ope, ac benignitate tàm nefaria morte esset ereptus) congratulantur: indè impios parricidas, quorum alij pauore iniecto, veluti cæci in fugam euadentes inderupta se se præcipitauerant insequuntur. Alij errore viarum, & metu acerbissimi supplicij, quòd capitalem fraudem ausi, conterriti, dum delitescunt segniter deprehenduntur. Franciscus Saluiatus Pisanus Antistes, cædis autor, & conspirationis caput, cui Senatum occupare in medio tumultu cura data erat, in palatio cum quibusdam sicarijs deprehensus, illicò est sublatus in crucem, cuius rei à teneris annis à quodam mathematico fuerat admonitus, quem tanquàm futuri penitus ignarum sæpissimè irrisit (verum casus imminens haud facilè moueri potest) complures è tectis præcipites dati. Iacobus è fuga retractus, fre-

mente

mente populo laqueo uitam finiuit, cæteri uarijs casibus interiere. In omnes denique tàm funesti consilij participes acerbè sæuitum est, præterquàm in Raphaelem Riarium, Cardinalem Sixti Pontificis, ex sorore nepotem, qui eius mandato clandestinam conspirationem complures aluerat dies. Laurentius etsi in tanto populi furore, ac tumultu minimè sibi parendum putaret, orare tamen non destitit vrbis primores, ut sanguine abstinerent, et parricidij ultionem, pœnamq; sumendam superis, scelerum omnium ultoribus, relinquerent. Bandinus qui in Asiam confugerat, paucis intercedentibus diebus ab Mahometo Turcarum Rege vinctus Florentiam remissus est, vt eandem, quam complices supplicij fœditatem subiret. ADEO cuiquè hominum generi sunt odio proditores, et omni loco honorata uirtus. Agebatur tùm secundus annus, quo Galeatius Insubriæ Dux ab Ioanne Andrea Lampugnano uiro fortissimo Mediolani in æde Diui Stephani, maxima adstante armatorum corona tribus et decem plagis confoxus occubuerat, qui superiore anno cum Venetis, et Florentinis ad perpetuam societatem fœdus ferierat, excluso Rege Ferdinando, quem ardente odio, ac cæca inuidia nunquam senescente, interposito Cicci cuiusdam Brutij consilio fuerat prosecutus. Quod etsi anteà Ciccus quibusdam fomentis clam aluisse credebatur post trucidatum Galeatium futuri fati ignarus eundem animum ad interitum usq; detinuit. Sub.

idem

idem ferè tempus Carolus Valesius Burgundiæ Dux, uir bello illustris tertio prælio apud Nanseyum oppidum ab Heluetijs fusus est, multaq; hominum milia cæsa, inter quos ipse, cuius corpus intentissima cura ab hoste etiam diu conquisitum est, tandem inter tot uirorum cadauera, alta niue obruta inuentum funerali pompa sepelitur. Quibus rebus Italia, quæ plurimos annos conquieuerat ad futuros motus animum intendens, dato tempore nouos delectus habuit. Pontifex tamen veritus ne Florentini ob casum Iulianum fœderatorum auxilijs suffulti iniurias vlcisci animo haberent, Ferdinandum ad sedem Apostolicam tuendam in societatem adsciuit, cui nè quid detrimenti acciperet, Rex omni ope opitulari constituit, quod ab Alfonso patre Regum humanissimo sæpissimè fuerat admonitus: ET ENIM iustior amicitiæ causa est eum velle, qui te appetit. Senenses præterea, qui finitimi sunt Fluentinis; & Federicum Vrbini Ducem, optimum belli Imperatorem impigrè in societatem pellexit: sine quibus difficulter Florentinis bellum inferebatur, et demum coacto subitario exercitu, vt hostem deterreat, ad Alfonsum Aragoneum, Calabriæ Ducem, tanquàm Sedi Apostolicæ natum, omnis belli moles est delata, cuius consilio, & præstantia Pontifex fretus in medio belli apparatu Laurentium, ueluti sedis Apostolicæ rebellem in exilium iturum, aut in eius potestatem venturum

turum

turum indubitanter opinabatur. Et dum Alfonsus ad Trasimenum copias cogeret Pontifex Florentiæ primores sæpissimè commonuit, haud vllum sibi esse cum Republica odium. sed cum Medice tantum, eorum vrbis tyranno, & Apostolicæ Sedis hoste immanissimo, qui si vrbe pellatur, nihil armis opus esse, si minus id fiat, bellum sibi indictum intelligant, nec vnquàm pacis conditiones habituros: sed in cassum uerba missa. Florentini nanq; ex seniorum sententia Laurentium Ciuem primarium, ac de Republica optimè meritum nullo pacto iudicandum hostem censuerunt, id enim est exilio ciuem mulctare, quo præter mortem nihil generoso animo præsertim grauius esse potest, asseuerantes suis legibus cum eo, cuius consilio, aucta esset Respublica, ac defensa libertas, maximisq; terroribus liberata honestius cadere, quàm illa amissa turpiter uiuere. Hæc ubi Pontifex intellexit, aduersus eos exercitum traijciendum iussit: existimans ui armorum è consilio discessuros. Alfonsus cognito Pontificis animo è Trasimeno signa mouens per pontem Clusinum, & agrum Senensem, in Florentinum aduentat, omnia, quacunquè iret direpturus. Haud segnius Florentini delectum habuere, et in Montem Imperialem (ita dicunt) tutissimum, ac opportunum ad coercendos hostis impetus locum copias collocant, apparandis armis dies pariter, noctesq; inuigilant. A Venetis, et Bona Duce Insubrium amicis,

statim

statim auxilia sunt accersita. Herculem Estensem Ferrariæ Ducem omnium ordinum consensu conducunt, cui summa belli est commissa, & demum quæcunq; in tanto motu necessaria visa sunt celerius comparant. Interim Alfonsus Ringinum oppidum depugnat quod primo impetu captum est, & vt diù bello desuetum populum vehementer deterreat, seruata mulierum pudicitia, quas diligenti custodia iussit obseruari, prædæ datur. Indè exhaustis tectis igne concrematur. At Hercules munito Montis Iugo insedens, nec laboranti oppido suppetias tulit, nec patenti campo in aciem exire ausus est. Alfonsus vbi nec hostem ad vindicandas suorum iniurias impulit, nec commeatus intercludi posse satis exploratum habuit, vt Senatum Florentinum ad tradendum Laurentium irritando compelleret, aut ad æquum certamen hostem traheret, Castellinam Florentinæ libertatis propugnaculum alto Iugo sitam (Plantas locum appellant) instituit oppugnare, sperans vbi hostium copiæ sub signis essent, prælium inituras. Hoc itaq; consilio oppidum circunsidetur, & admotis tormentis omni telorum genere, operibusq; fatigatur. Oppidani primùm recentibus adhuc animis non modò egregiè mœnia tuentur, verùm crebris eruptionibus in munimenta hostium prorumpunt, nec ullis unquàm conditionibus aures adhibuère, sed pro libertate eisdem animis extrema se subituros adiurant. Ad extremum

suorum

suorum auxilijs destituti, à quibus firmissima subsidia sperabant, & ad rerum omnium inopiam penè redacti, quom viderent partim conquassata mœnia, partim euersa dedunt se se. Sed Hercules vndique contrahendis viribus assiduus, nunquam montis dorso mouit. Fuerat nanq; id olim tutissimum libertatis propugnaculum, & quia bellorum omnium felices exitus pepererat, eo auspicio Senatus Florentinus nunquàm destituendum edixit. SED non semper fortuna est eadem: mutari etenim cum Duce belli rationem, punctoq; maximarum rerum momenta uersari perspicuum est. Alfonsus vbi hostem declinantem certamen animaduertit agrum infestius vastat, ferro, & flammis omnia assumens. complures vicos, & castella haud locis sita munitis, ita miserabiliter diruit, ut pristina fortuna hosti fletum excitaret. Nec propterea populus Fluentinus tot doloribus, calamitatibusq; immersus è consilio discessit: sed quemcunq; casum sors obtulisset pro libertate, eadem se animi constantia subiturum, & quo magis ab hoste seuitum, eò magis magisq; patriciorum, plebisq; pectora etiam alieno ære demersa obduruerant. Nec mirum, nam multa per idem tempus blandimenta ab Laurentio plebi data: frumento etenim, quod in summa annonæ caritate viritim donauerat vnam ac concordem tenuit vrbem. Hæc vbi præter omnium opinionem cognita sunt, Alfonsus ne in populatione

agrorum casse tempus tereretur, eoq; frustra exercitus adductus esse videretur. Montem Sabinum in Agro Aretino, oppidum vrbis instar omni apparatu circunsedit, et iam propter instantem hyemem omnibus operibus, tormentisquè oppugnari cœptum est. Propugnatores, quamuis obsideri miserum sit, omni missilium genere muros pertinacius defendere, & primum impetum satis constanter sustinuisse uisi sunt. Erant præter oppidanos sexcenti milites stipendiarij, lecta Iuuenum manus, et tres equitum turmæ, quibus quia ad erumpendum in opera hostium animus erat, sæpius in castris est trepidatum, atq; ipsi intra mœnia plerunq; compulsi. Quam ob causam custodijs, ac vigilijs loca tueri, & pro vallo stare armatus miles assiduè cogebatur: noctu quassatos muros aggere reficiunt, & vbi crebris tormentorum ictibus non poterat, fossa ducebatur: & demum quocunq; fortunæ vis vocasset prestò aderant, in defessorum locum animosè succedentes in media hostium tela, nullius morte, aut fœdo vulnere conterriti. TANTI cuiq; est patriæ charitas, ac suauissimæ libertatis amor incomparabilis. Erat iàm in exitu aquosus Nouember, qui præter continuos imbres, niuosasq; grandines duo mala in exercitum adduxerat: famem scilicet, quæ vltrà ferri non poterat, ac grauem pestilentiam: & quanquam per ignota capita vis morbi euagata est, ni pudor ordinum Duces præfectosq; te-

nuisset

nuisset, in castris fieret solitudo. Tùm Hercules corroborato exercitu, ex primorum vrbis sententia signa mouens, tacito itinere ad Ciuitellam oppidum duum millium interuallo ab hoste castra locauit, eo consilio, uti obsessis auxilium ferat, pugnamq́; conferat, modò in aciem exeat. Quod vbi in castris disseminatum est, miles tot malis circumuentus, quom indies ignauior fieret, quomq́; militandi pigritia inuasisset, Alfonsus nihil immorandum ratus, priusquam animis caderet aduocata concione in hunc modum uerba fecit. Si Deum immortalem ac iusiurandum esse creditis milites fortissimi, illum testem facio nunquàm illuxisse mihi exoptatissimum diem, quàm externus, quo propius hostis castra mouerit, ut in acie, ubi Mars communis est, quod nobis ab initio belli semper est quæsitum vera laudis gloria comparetur. Idem etiam (nec me fugit) vestris animis insitum esse reor, ut eò labor impendatur, vnde perpetuum speretur decus. Noui virtutem vestram, quam semper fortuna est secuta, noui qua patientia grauissimos labores, & pericula in rebus maximè dubijs pertulistis, scio quibus verba facio: & quamuis supra morbum fames affligat, non propterea animis concidisse, ueluti ignaui, ac desides iudicemur, quod extremum omnium malorum esse arbitror. Experimini igitur vestram felicitatem, vt rerum gestarum perpetua vigeatis fama, & ne morte quidem vinci fortes

animos posteris monumenta relinquamus. Manè si Deo placet, quom primùm illuxerit, quia nulla spes nisi in armis nobis est relicta, vos in aciem ducam, vt priusquàm hostis obsessis auxilium ferat; collatis signis prælium conseramus, quem Dei benignitate, ac immobili virtute vestra, qua vobis semper immortalem gloriam peperistis vertemus in fugam. Nec Herculem hunc, à quo olim superatas Alpes, vt fabulis proditum est, esse credatis, sed eum, quem nunquam in acie stetisse, & olim bello Gallico sæpius vobis terga dantem accenso Marte perspexistis. Qua oratione accensi militum animi idem faciendum omnes ingenti alacritate succlamant. Extemplo ex omni militum numero promptiores in prima fronte conscribuntur, equi præfectorum ordinum diuisi, viritimq; bello egregijs assignati, & quæcunque ad certamen necessaria visa sunt pro temporis conditione componuntur. Hæc dum intentius aguntur sub vesperam Vrsus Asculi in Apulia Dux, & Nicolaus Vrsinus Pitiliani Comes cui ante aduentum Herculis in castra ab Senatu Florentino exercitus custodia fuerat permissa, materno sanguine coniuncti, munimenta (vt fit) obequitantes, submotis arbitris in colloquium conuenerunt. Cumq; diu de componendis rebus, dirimendisq; odijs satis agitassent, vterq; quid collocuti essent retulit ad suos. pari itaq; vtriusq; Ducis exercitus consensu, postulan-

stulantibus temporibus, in XX. dies Induciæ sunt datæ, sperans populus Florentinus, qui impensius pacem quæritabat dilatione senescere belli vires, & Pontificem interim (vt æquum erat) arma depositurum. Alfonsus, ne commeatus, aut præsidia immitterentur, munimenta, & oppidum ingenti fossa, ac vallo circunsepsit, positis etiam locis idoneis modico interuallo binis aggeribus, omni telorum genere completis. collis etiam, qui castris satis imminebat castello peropportunè firmatur. A populo Senensi affatim omnis generis commeatus præbiti. Pontifex etsi pactas inducias grauiter ferret, ex vrbe tamen arma, & quicquid ad bellum vsui esset celerrimè iubet conuehi, tanto Medicen odio prosequebatur. Exierat iam induciarum dies, cumq́; oppidani dura obsidione fatigati frustrà ab Hercule ventum esse animaduerterent, in eius conspectu coactam deditionem fecerunt. Per eosdem etiam dies Fracassus Roberti Sanseuerini filius, quem in castris hostium pestilentia laborare fama exierat, adhibitis ab Alfonso liberaliter, comiterq́; medicis, ac pharmacis in pristinam valetudinem est restitutus. qua re plurimorum sibi animos conciliauit. Sed Estensis vbi se elusum animaduertit, obstrepescente pluuia, multo ægrius in hyberna concessit. Alfonsus confirmato oppido non mediocri præsidio, eiectis neruis, ne quid

molirentur

molirentur cum paucis admodum ſub Lucinianum caſtellum Senenſium finibus egreſſus, mutandis caſtris per circumiectas itineri ſyluas locum quærens in hoſtium inſidias præcipitatur. quibus detectis ni Loiſius Gentilis Campanus uir impauidus illorum impetus excepiſſet, haud dubie caperetur. Nulla alia memorabili re geſta eo anno, exercitus fœda tempeſtate penè mutilatus in tecta deductus eſt. Robertus Malateſta Ariminum olim ſibi ab Rege reſtitutum, dùm frater eum hoſtili animo perſequeretur, & Conſtantius Sforcia, cui Regia neptis connubio erat coniuncta Piſaurum in agrum Gallicum extremo anni ſeſe recepit, qui ea hyeme, nondum finito ſtipendiorum tempore, pecunia corrupti ad Florentinos defecerunt. SED nihil eſt tàm munitum, tàm deniq; ſanctum, quod non violetur audacia, et pecunia. Hæc vbi Ferdinando nuntiata ſunt in proſequendo bello grauior cura, quæ aliàs occupauerat accenſa eſt, & vt hoſtium uires infirmaret (ea potiſſimum in bellis ratio ſemper habenda eſt) Robertum Sanſeuerinum è Gallia, & Ludouicum Sfortiam in agrum Piſanum ablegatum reuocare conſilium fuit. quos poſt trucidatum Galeatium, Bona eius vxor Carolo Gallorum Regi ſanguine coniuncta, & Ciccus qui Mediolanenſium dominatui præerat, Ioanne Galeatio admodum puero in exilium coniecerant, veriti, ne dato tempore Inſubrium regimen occuparent. Retra-

cto

cto itaq; Roberto, & coacto exercitu ad Lunæ portum, conspirante Fregusiorum familia alterius factionis, Liguribus vt in potestatem redactis suæ ditionis essent, bellum est motum: qui in sequentem annum post fusas, fugatasq; Insubrium copias in Gaunis vi bellorum in libertatem restituuntur. Inde Ludouicus victor Mediolanum ingressus, nepotis admodum pueri custodiam, administrandarumq; rerum omnium curam suscepit, et reformata vrbe Ciccum primùm in carcerem coniecit; liberi saluti fuga consuluere: bona omnia militibus diuisa: postremò colla securi percussa. REGNA etenim sine metu, & seueritate administrari non possunt. Proximo anno duos exercitus, præter eum, qui in Liguria erat Alfonsum in Hetruria comparare oportuit: alterum in agro Perusino aduersus Robertum Malatestam, qui nuper defecerat, cui Matthæus Campanus præfectus erat: alterum, quem ipse cum Federico aduersus Estensem ductabat. Fuere eo anno Sedis Apostolicæ res, sociorumq; maximo in discrimine, & memorabilis belli diu fortuna anceps: nam quom uterq; exercitus longè hosti impar esset, quippe qui summa vi in fœderatos, amicosq; arma inferret, vt desciscerent, locis omnibus terror est iniectus. Ab Malatesta Perusinorum ager flamma, ferroq; passim peruastatur: complura oppida, & castella diruta, ac incensa: non erant Perusini ea expeditione negligendi, quibus Matthæus

thæus

thæus in contrahendis copijs assiduus, nondum venerat auxilio. Ergone deficerent, quæ esset maxima iactura, Alfonsus opitulari, & Malatestam vbicunque esset occupare constituit: mouentem igitur ex agro Florentino vix pons Clusinus exceperat, quom repentè hostis relictis Perusinorum rebus, pro mœnibus Cortonæ in Vmbria castra locat: tumq; aduersante milite, quòd certamen declinaret, Malatestam dixisse constat. Qui cum Rege manum conseperet ex Regum sanguine ortum esse oportere. Alfonsus interim amicorum querelis occurrens Passignanum oppidum, & quicquid ui bellorum fuerat ablatum, triduo in eorum potestatem redegit: atque ita sine certamine obsidione soluuntur: quorum animos maximè emolliuit, & ad optimam de se spem in posterum habendam, perferendumq; constanti pectore bellum promptiores effecit. Hæc dùm Perusiæ geruntur, Casulas, clarissimum Senensium oppidum ab Hercule circumsederi nuntiatur. Senenses, omni cunctatione abiecta, Alfonsum ut quanta maxima celeritate suppetias eat querelis, precibusquè fatigant: nam erutis muris ab oppidanis maximè conterritis deditionem fieri verebantur. Alfonsus commendata Matthæo Perusiæ custodia, qui dudum triginta equitum turmas, & duas cohortes ex ueteranis, nouisquè conflauerat, meridiano sole signa mouens, militari via super Ringinum, nuper dirutum paululum desedens

dens Casulas in agro Volaterrano ab oppidanis, metu oppresſis, ſeu pecunia corruptis hoſti proditas intellexit, quæ res ingentem acuit curam: verebatur, nè Senenſis populus deſperatione, aut metu coactus deſciſceret, aut aliquid noui oriretur, quom impetu magis quàm ratione ducatur. Hercules vbi continuis itineribus per exploratores Alfonſum ad ſe accelerare cognouit, munita arce, & flammis dato oppido in Montem Imperialem repentè conuolauit. Erat Senis publicus luctus perinde ac ſi fatali caſu vrbs arderet: matronæ vagæ in preces verſæ ſuas ærumnas deplorantes, reſolutis crinibus, miſerabiliq; habitu per delubra ſimulacris aduolutæ, Arabico fumo, ac pijs ſupplicationibus Dei immortalis pacem expoſcentes, ne plus irarum in miſeram patriam effundatur, ſupinis in cœlum manibus ſuppliciter orant, quæ & ſi iniuſtum bellum hactenus ſequuta ſit, ſatis hauxerit pœnarum. Patricij inſulis velati incomparabili dolore, ac calamitate perculſi, quonàm pacto perditis iam rebus conſulant paſſim conſilia ineunt, fremuntq; locis omnibus, quidam muſſitantes inter ſe vix hiſcere poterant, adeò tremor artus occupauerat. Alfonſus vbi id intellexit, pro comperto habens, quàm mutabilia Senenſium eſſent ingenia, ne quis motus ex repentino tumultu emergeret (OCCÆCAT plerunq; animos grauis dolor, præcipitatq;) ſtatim per apertos campos explicatos ordines in aciem educens Eſtenſi per

tubicinem prælium denuntiat. At Hercules distrahens rem in aliud tempus intra vallum armatum continuit exercitum, ordinumq́; præfectis, qui ad accipienda Imperia conuenerant, ne extrà munimenta quis moueret edixit. Alfonsus quom ab Sole orto ad multam diem in acie stetisset, nec hostem eliceret ad pugnam sub lustri nocte motis castris ingenti celeritate cœptum iter ingreditur, et vbi primùm Casulas aduentat, arcem, quam hostis præsidio firmauerat expugnat: et quia hosti ad rapienda pecora satis opportunus locus erat, receptaculumq́; prædonum, solo æquatur. quam ob causam, & si antea populus Senensis de componendo bello sæpius agitasset, concordes animos ad prosequendum cupidius inclinant. SED ita populorum mos est, vt cum fortuna mutent fidem, quæ pro arbitrio versat humana. Post id eisdem castris, quom nox lassitudine, ac vigilia fatigatum militem ad necessariam quietem vocaret, Matthæum apud Trasimenum ab Malatesta fusum, fugatumq́; nuntiatur: quæ plaga Alfonso ingentem dolorem iniunxit. Nam cùm Perusinorum res ab Hostium incursu defendere statuisset, ne deficerent, & Senensem agrum partito exercitu tueri, quod facillimè fieri putabat, tum demum si quò fortunæ vis vocasset omnibus copijs traijceret, Senensium res hostis arbitrio subessent. Quid igitur in re tàm trepida agendum, maturè consuluit: quæ si lentius traheretur, vtrinquè grauissi-

uissi-

uisſimum imminebat periculum. Et quamuis Duces, ac ordinum præfecti multa in medium afferrent, ne ab agro Senenſi auxilia amouerentur, vicit tamen Federici ſententia, qui ſtatim Peruſinis (profligato præſertim exercitu) conterritis, ſuccurrendum putaret, vt in afflictis quoq; rebus minimè viderentur deſtituti: quod ſi ſecus fieret omnis ora Tyberina, quam ſulphureus Nar abluit defeciſſet: in quam ſententiam quom omnes irent repentè mouere conſtituit. Sed ubi Senis uulgatum eſt, confeſtim populus Burgheſium, et Bilantem ex Senatu legatos legit, è quibus dicendi poteſtate facta, ita Bilantes orationem exorſus eſt. Si præteriti temporis ritè memini, Alfonſe Dux, auus tuus quom primùm ex Hiſpania in Italiam traiecit, fato neſcio quo, Florentinis bellum indixit, noſtra Reſpublica, ſine qua finitimi ab eius incurſu tutiores fuiſſent non modò commeatum, arma, et quicquid ad bellum vſui eſſet libentisſimè contulit, verùm arces omnes, vrbemq; eius imperio tradidit habendas: & licet ab Venetis, Florentinisq; in fœdus, ac ſocietatem adſciti conditionibus amplisſimis, maluimus cum eo fortunam omnem, & incertos belli exitus perpeti, quàm in tranquilla pace conquieſcere. Iterùm Ferdinando patri tuo fatali necesſitate, arma Florentinis inferenti nulla in re defuimus. Nunc tertiò, ne ab illa conſuetudine, ac experta amicitia deſciuiſſe uideremur: quanquam varijs legationibus ſollicitati, ſu-

periorq; hostis visus est, tua tamen arma sequi maluimus, quàm cum finitimis, cum quibus (quia longo terrarum ambitu à nobis seiunctus es) æquius erat societatem, ac fœdus inire: tuæ demum fidei, sub qua nos tutos forè sperabamus, penates, liberos, & libertatem ipsam libentissimè commisimus, illos iniuria aspernati. In omnibus deniquè bellis, quæ in hac ora sub Aragoneo nomine, signisuè gesta sunt, si fideli ope adiuuerimus tuo consilio relinquimus. Hactenus incensas villas, liberos in seruitium abstractos, diruta oppida, Diuorum delubra miserabiliter spoliata, raptas virgines, conciues catenatos, & in carcerem coniectos, aut fœdissima morte cæsos, constantissimè tulimus, & demùm nihil ad noua uulnera accipienda nobis reliquimus, propterea quod tua ope iniurias vlcisci, & Rempublicam indies augeri tot collatis beneficijs sperabamus, nunc demùm variante fortuna, si hinc copias abducere in animo est, vt Perusiæ auxilium feras, quod nobis grauissimos dolores inurit, afflictæ Reipublicæ, quod superest, ne penitus intereat nostri erroris, seu culpæ, siquis apud hostem ad vrbis mœnia sedentem, ac ceruicibus nostris imminentem pietati relictus est locus, suppliciter veniam petemus. His anxius curis Alfonsus, ne dùm Perusiæ res tueatur Senæ ad hostem inclinent, Iulium Aqueuiuum Adriæ Ducem viginti equitum turmis præfectum, & duabus cohortibus ad tutandas Senensium res, arcen

dasq;

dasq; populationes constituit: cui quocunq; fortunæ vis vocasset signa moueret, & ad omnia occurrere mandatum: Ipse cum reliquis, quanta potuit celeritate concubia nocte mouens silenti agmine Clusium transuectus est, eo consilio vti collatis signis prælium ineat. Sed Malatesta vbi per exploratores Alfonsum metari tàm propè castra intellexit, relicto agro Perusino impigrè Cortonam perfugit, & castra in tuto collocans eius feruorem elusit, ac longos viarum tractus spe certaminis sæpius frustra metiri coegit. Inter hæc superueniunt Perusiæ legati, nuntiantes ob depopulatos agros vrbi terrorem iniectum, fatigatum bello populum hostilia passum, exhaustum iam ærarium, & demum multitudinem paci intentam, quæ ni aliquo præsidio fuerit suffulta postulantibus temporibus ad hostem inclinabit. Hæc vbique dum minaciter fremerent, Alfonsus minimè denegandum præsidium ratus est. Ex veteranis itaquè, nouisquè militibus, præter reliquias fugati exercitus viginti equitum turmas & tres cohortes repentè conscripsit, quibus Iulium Cæsarem Camerinum præfecit, edixitq;, hostem quantum queat ab agrorum excursione coerceat: & si casus, aut fortuna ferat constanti animo dimicet, se in proximo esse: pari namq; spatio ab utroq; hostium consederat exercitu, vt quò res vocasset facilius succurreret. Erat peropportunus collis in agro Senensi, quem Sangimignanellum

dicunt,

dicunt, vnde vnis castris Estensi, & Malatestæ occurreret: quo loco pluribus effossis puteis, Federici consilio statiua sunt habita. Quapropter hostis ab agrorum vastatione, uti consueuerat destitit, et demum quisquè tuendis amicorum rebus intentior castra in tuto communiuerat, sed ne ocio marcesceret miles, quod populus Senensis sæpissimè obiectauerat ignominiæ locum quærens, Alfonsus in agrum Aretinum silentio castra mouens (quamuis ob corruptum lolio panem graui morbo exercitus afflictaretur) repentino aduentu bina expugnata oppida à fundamentis proruit: proximo deinde die in eundem locum signa refert. nec propterea destitit populus Senensis propalam iactare quòd tandiù nihil actum esset, quòdq; pauore iniecto per summa montium castra collocarentur, & res suas (sorte nescio qua) impunè diripi. S E D difficile est plebi multiplicis naturæ placere, quom nihil habeat consilij. Quibus verbis Alfonsus irritatus, atque ægrè id patiens (D I F F I C I L E etenim generosum animum iniquè obiecta probra perpeti) repentè omnibus copijs in Ambram descendit: est ea æqua vallis, salubri cœlo, ac perpetuo vere amœnissima, passim perennis aquæ fontibus, glandiferis arboribus, iuglandibusquè culta, hinc atque hinc oppida, uillæq; innumerabiles, & Ambra in medio eminens, oppidum clarissimum uetere fortuna opulentum, cuius mœnia riuus limpidissimis aquis præterfluens arborum densitate

ſitate inumbratus oppido, & loco nomen dedit, vbi ſacras nymphas loci amœnitate detentas aliquandiu conſediſſe fabulantur: quæ biduo ad deditionem coacta eſt, non ſine hoſtium ignominia, quorum neuter Dux extàm propinquo loco ſuis auxilio apparuiſſet. In reditu Petra viua caſtellum haud ignobile, non paruo præſidio fultum ab Gentile ſcalis captum eſt: qui quom primus haud mediocri periculo mœnia ſubiſſet, ſcalæ, quæ ob altitudinem ſunt ſub pondere infirmiores effranguntur, pugnans itaque egregiè ſupra muros pinnis inhærens multis coniectis telis oppidum ad deditionem compulit. Poſt quam nauatam operam in conſpectu totius exercitus ab Alfonſo, et Federico magnificè collaudatus, et in eximiæ uirtutis monumentum aureo torque donatus eſt: quibus rebus elati Senenſes, et ſi antea iure uel iniuria queſti ſunt, tum collaudare militum virtutem, benignè omnia cumulata dare, incredibili alacritate, tanquam ſi nihil aduerſi accidiſſet, in caſtris vagari, & demum quicquid fortuna reliquiſſet Alfonſi imperio communi animo polliceri. Milites etiam creſcente indies animo felici rerum ſucceſſu, periculi & laboris auidi inſtant, vti hoſtem, qui montis iugo exeſis vndique conuallibus ſe contineret, adorirentur, aſſeuerantes non ſine ſudore ad ſempiternam gloriam ac virtutem iter patere. Alfonſus vbi eo animo ſuos eſſe vidit. Mane inquit, milites mei, quod ſæpiſſimè optaſtis Deo bene iuuante, cum

hoſte

hoste aperta acie nobis est dimicandum; habemus exploratum iter, & quid demum consilij captet, nec dificillimum, aut supra uires humanas esse putetis, quòd munito asperrimi montis dorso insedeat posse pelli, nota est nobis uia, qua facillimè deijcietur: quanquam maiora memini effecit immobilis uirtus uestra, cui si iter pateret cælum caperetur. cum his est milites pugnandum, quos ad Troiam sub Ferdinando patre meo fugastis. Iterum quando Ariminum acri bello leuastis dura obsidione. Este quæso tantarum laudum non immemores, quibus immortalitatem uobis comparastis: occurrant tot clarissimæ uictoriæ, & nomen Aragoneum; sub quo semper militastis felici auspicio: fuso namq; hoste (quod animus præsagit) huius expeditionis uictoriam penes nos esse arbitremini. sumus ad uigesimum ab urbe lapidem; quæ ubi fusas fugatasquè copias audiuerit, aut Laurentium ad supplicium tradet, aut in exilium eijciet, quæ summa est belli. Curate igitur vos, ut quom illuxerit, pari animorum, corporumq; robore in prælium exeatis. Erat nuda uallis planicies ab læua Elsa amne cincta, quæ ad utriusq; collis radices extensa claudit campum, quasi in gyrum, vbi explicatis primùm ordinibus præfecti imperia accepere. Gentili duabus peditum cohortibus præfecto ad expugnandum primum montis iugum negotium datur. dextræ alæ Iacobus Comes. sinistræ Christophorus Nardinus viri insignes præerant.

praerant. ipse præmissa leui armatura cum prætorianis militibus, sarcinis in tutum remotis, sub ipso constitit vallo. nihilo segnius Costantius, et Sigismundus Estensis montis iuga tenentes (abierat nanque Hercules ad Ligurum tumultus paucis ante diebus) opportunis locis equitum aciem, peditemque collocant. Bina erant montis iuga, valle iniecta, haud mediocri spatio seiuncta, alterum trium cohortium præsidio firmatur. alterum Sigismundus viginti equitum turmis egregiè tueri fatebatur. Constantius cum reliquis in supinam descendit vallem, primos hostium impetus excepturus. Sed quom procul à Sigismundo secessisset militiæ ignarus, & malus belli Dux habitus est; nam si verteretur in fugam (quod euenit) neque in iugum euadendi ad suos, coeundique in vnum, neque Sigismundo ad opem ferendam spatium præstaretur. Diuisis igitur ordinibus, quom utrinque acies auidius expectarent signum, vtrinque tubæ rauco sonitu concrepuerunt, militum animos ad cruentum Martem accendentes. Gentilis facta suorum testudine scuto super caput elato (iniquo ascensu subeundum erat ad capessendum iugum) acri adhortatione militem cogebat. Propugnatores eminentiori loco saxis, missilibusque hostem nitebãtur propellere, hos antiquæ libertatis amor incomparabilis, illos cum Alfonsi præsentia, tum rerum gestarum solida gloria, ac animi pertinacia ad subeundum acrius irritabat. Sed vbi Gentilis superata loci

iniquitate in collem euasit eiecto peditatu Alfonsius eruto vallo ad montis radices acrius prælium ciet, & contritis hastis in primo concursu ingentibus animis impigrè gladios distringunt, ac cominus Martem lacessunt. Sed Constantius ubi labantem primam aciem inspexit, tempus è manibus hostis euadendi assumens, sola in fuga spem ponens terga dedit. Alterum Montis dorsum Sigismundus strenuè dimicans animosè tuetur, equitem namq; Imperio intentum uallo in cuneum educens hostiles turmas referre pedem sæpius coegit, & plerunq; vrgente hoste intra munimenta est ipse reiectus. Cumq; ad vigesimam ferè horam æquo Marte eo dorso bellatum esset, Alfonsi aduentu cum optimo equitatu è montis cacumine per confragosos anfractus armorum vi depellitur: capessuntq; omnes fugam: sed incredibile est (fœdè abiectis armis) quonam modo in derupta alij super alios se se præcipitauerint letho vicina, perq; montis ruinas cum oneribus iumenta deuoluuntur, passimq; per campos vagos palantesq; castris exutos, qui insequerentur, obliqua montis parte emissi sunt: præda omnis castrorum, iure belli militibus est concessa. Equitum uiri insignes centum sexaginta capti: peditum nec certus numerus cæsi, ac vulnerati permulti. Propugnaculum alterum ex argilla, lutoq;, & lignorum fascibus mira arte contextum, ubi suos fugatos vidit, dedidit se se. Alterum quod ad occidentem solem positum erat, vi

captum

captum flammis assumitur. Die insequenti Podibontium ad radices montis, data omnibus spe vita in deditionem venit: vbi fusi exercitus præda ingens est inuenta. Certaldum locus insignis morte Bocacij poeta clarissimi exhaustis tectis incendio concrematur: domus tamen, ac sepulchrum eius ob musarum reuerentiam, ne igni absumerentur summa diligentia est procuratum. Quæ ubi præcipiti iam die Malatestæ sunt nuntiata, repentè in Sancassianum (id oppido est nomen) ad coercendos victoris impetus, neue Florentina Respublica in tàm acerbo fortunæ ictu penitus destituta videretur exercitum deportauit. ab tergo oppido, à fronte & latere ingenti fossa, ac vallo claudebatur. Sed vbi Florentiæ profligatas esse acies aduolans fama vulgauit, tantus mæror, pauorq́; omnium mentes occupauit, perinde ac si essent repentè casuri. Sed paulatim conticescente tumultu, quom pro libertate satis esset conclamatum ad custodiam vrbis, & tuenda mœnia mœsti patres animum conuerterunt. occlusis itaque omnium tabernis, omnis plebs etiam si militari ætate non essent ex Senatus consulto arma capiunt: custodes ad portas collocant: circa eam præsertim, qua venturum hostem rebantur. stationes per muros disponunt. alij vrbem obeunt. alij vicatim noctes vigilijs intentius extrahunt. expediti equites passim missi, qui intelligant quo se Alfonsus post prælium contulerit, & quid paret, nihil denique

quod ad tuendam, conseruandamq́; libertatem necesse uidebatur est prætermissum. Sed complures bello fessi, ac graui fœnore obruti (euenit id sæpenumero in magnis urbibus, in quibus multiplices sunt hominum naturæ) mittendos ad Alfonsum legatos, nec expectandum ad portas acriter contendunt. Peruicit tamen seniorum auctoritas, qui censuerunt nihil (eo præsertim tempore) agendum præter vrbis custodiam, in qua esset Reipublicæ salus. et quia satis rectè admonuisse visi sunt, omnes ad id pari studio animos conuertere, constituentes primùm ante oculos suauissimam libertatem, à maioribus tanto labore, ac studio quæsitam, pro qua non modo temporum bona, sed sanguinem effundere, et præclarissimè mori non solum inuictissimi, sed sanctissimi esse animi succlamant, efficacius contendentes quinimò æterna labe contegi, ni eo statu, quo Reipublicæ formam à maioribus acceperint posteris reliquissent. Alfonsus pòst fusum hostem, quid in tanta victoria ageret, vt militum ardori, querelisq́; occurrat, Federicum consuluit. spe nanq́; prædæ accensi vix detinentur in castris: pertinacius etiam asseuerantes nihil actum esse, ni propius Florentiam castra mouerentur, fueritq́; circumsessa libertas. Nunquam etenim Pontificem voti fore compotem, nisi extincto Laurentio, aut in exilium eiecto. Hæc dum milites vbiq́; fremerent Federicus uir magno consilio omnia animo euolens. Irem inquit pedibus in sententiam aliorum ni claudus essem,

sem, Alfonse Dux (erat altero crure æger) si ratione magis quàm voluntate, aut impetu futuros casus, ac rerum euentus animo pensitarent. Vrbs Florentia quinimò in tanta victoria recto hinc itinere nobis esset petenda, ne respirandi spatium nostra negligentia dedisse accusemur, idq; belli ratio exigit; sed quis victorem uagum, prædæ assuetum in tanta villarum opulentia queat in castris continere? ex media proruent acie ad quærendas opes tuum imperium negligentes. Malatesta præterea minimè negligendus non procul abest, id apprimè quærens, quo nam modo nos incompositè castris effusos habeat. Sed sit circumsessa omnibus viribus vrbs. sit tuo imperio miles intentus. nemo nisi iussus arma capiat, & in ordinem eat, nemo ex acie exeat, quis nobis commeatum deuehet? vnde belli munia tot hostium oppidis circumsepti consequi speramus? Hostilis præterea exercitus, qui nos à tergo vrgebit tàm otiosè oppugnare vrbem sustinebit? postremò nos summo cum periculo circumuenti, interclusiq; erimus, & fame potius per ignominiam, quàm ferro mori cogemur. Sed quom festinatio omnis cæca sit, nihil temerè agendum, sed omnia consilio metiri summæ prudentiæ esse arbitror. Ab qua sententia Alfonsus minimè discedendum ratus, ne frustra tempus absumeretur Federici consilio in collem uertit agmen. Est oppidum nequicquam excelso colle situm, à quo sibi nomen inditum inco-

læ

la affirmant, ab laua, dextraq; torrente, ac praruptis conuallibus: ab inferiore Elsa amne obiecto suburbij mœnia præterfluente præcluditur, è cuius nomine Vallem accolæ appellant. A tergo haud longo spatio dirimente Senensis ager interiacet, quò pabulatum, lignatumq; mercennarius miles, agasonesque tutius irent. Erat præter oppidanos quingentis militibus bello in Turcas assuetis omni missilium genere, ac frumento ex ante conuecto munitum, quibus satis in tuto constare videbatur, tamen Federico auctore ab occidente pars, quæ vix tormentis esset subiecta obsidione clauditur. Quæ dùm operibus, assiduisq; tormentorum ictibus obteritur, oppidani Penates, & sedes patrias pertinacius defendunt, pro diruto murum obstruentes nouum, aggeres erigere, fossas ducere, & in media hostium tela locumq; cadentium certatim ruere. Sed primus oppugnationis impetus, certamenq; satis terroris iniecit: nam quom vtrinq; sagittis, tormentisq; complures caderent eorum animi cœperunt labare: proxima deinde noctis quarta ferè vigilia relicto exteriore muro, igne iniecto in interiorem oppidi partem, interrupto prius ponte, concesserunt. Alfonsus ueritus, ne qua subesset fraus, expeditos quosdam locum exploraturos ingredi iussit, atq; ubi desertum semiustumq; comperit suburbium in eo certiore luce milites collocat, oppido castra coniungens, solutum pontem tabulis refici statim mandauit: ut inde

fabrica-

fabricatis machinis ab muris propugnatores facilius propellerentur. Ea tantùm oppidi pars vix poterat offendi: reliqua omnis, quæ nec operibus, nec scalis offendi poterat, neglectis custodijs, munimento, & natura tutior erat. Sed fessi oppidani trimestri oppugnatione, ubi in plurimorum excidium erectas machinas mœnium altitudinem æquantes inspexerunt, quibus subiecti ex omni parte grauiter offenderentur desperatione adducti, quòd nulla præsidij spes appareret, ad coactam deditionem animos inclinant, cœptumq; de conditionibus agi. Sed quia Malatesta cum præsidijs in tempore se adfuturum, si obsidionem constanter sustinerent, literis significauerat, sex dierum induciæ sunt impetratæ, vt ad Senatum edocendum, quæ sit eorum fortuna nuntios mittant: Quæ vbi patribus, populoq; innotuit summa animos tristitia inuasit. Malatesta uti laborantibus sine intercapedine auxilium ferat, omnium sententia decretum est, quom in eo præsertim oppido vrbis fortunam libertatemq; repositam esse satis appareret. Alfonsus interim aggeres opportunis locis ad futuros casus erigi mandauit, & passim haud procul mœnibus dispositis custodijs assiduè in castris etiam est diligentissimè vigilatum, ne quid præsidij immitteretur, aut per occultos exitus quis egrederetur. Assumpto itaq; die dato, oppidani, quom nihil præsidij ab Malatesta præstaretur, cumq; eorum fortuna diutius moram pati non posset, si-

ne dolo deditionem fecerunt. Capto itaq; oppido, qui stipendio meruerant, patefacta porta integris rebus incolumes emisſi ſunt, oppidanorum nemo violatus, ſuaq; omnibus reddita res, & impoſito præſidio pauci admodum, ne populum ad noua conſilia ſollicitarent eiecti ſunt. Quibus rebus Alfonſus non modo gloriam ſuam, ſed patris maieſtatem maximè auxit, multa etenim hoſtium ornamenta ac ſpolia iure belli parta Neapolim deuexit: ſempiternum tanti belli poſteris monumentum. & quia hyems aſperrima imminebat, uterq; exercitus menſe Nouembri pruinis iam obrutus in hyberna conceſſit. Eo anno Robertus Vrſinus Albæ in Marſis comes, & Vrſus Aſculi in Apulia Dux, Alfonſi Duces clarisſimi, ille ſub Montem Policianum peſtilentia, hic Viterbij poſt pacis fœdus ventris profluuio deceſſerunt. Et quoniam Ludouicus non ſine graui iactura Reipublicæ Florentinæ ad Ferdinandum penitus inclinauerat vt ſupra dictum eſt, Florentinorum primores inopi iam ærario, & ab amicis omnibus deſtituti diutius bellum ferre non poſſe ſucclamant: depoſcentes magis neceſſariam, uel iniuſtam pacem, quàm diutino bello Rempublicam penitus interituram. Laurentius in tanta temporum nequitia quom nihil ſuccederet ex ſententia, publicis conciuium querimonijs occvrrere perdiffìcile ducens, meritò rerum euentu ſummopere terrebatur: & dum abſciſſam ſpem haberet placari ſibi poſſe

iratum

iratum Pontificem, aut in conditionem iturum, nec vnquam patriæ defuturam belli causam, fortunas, & uitam tot emergentibus malis in summo discrimine versari sæpissimè iudicauit. Quid igitur inter varias fortunæ minas ageret, cum qua satis erat belligeratum, cum diu fluctuante animo agitaret, nulla spe suffultus Regiæ fidei, clementiæq́, se committere, nemini id credens ultimum cepit consilium: eam demum aram in rebus tam trepidis sibi relictam esse censebat, cuius ope, et consilio bellum dissolui, et Pontificis iram effugere sperabat: quod ne in uulgus dissminaretur, per occultos nuntios Alfonso credendum curauit. Per quos vbi facta est fides, Alfonsus, & si Italiæ tranquillitati semper studuerit non destitit omni adhortatione, firmissimisq́, rationibus eius animum in sententia confirmare, uti liberè ac posito metu Ferdinandum adeat (magnum erat Regis nomen) cum quo omnia conuentura fide in hoc data confirmat, quom ad id bellum venerit inuitus. Quibus cohortationibus Laurentius ingenuè confirmatus, fortunæ cætera committens, è portu Pisano maturè mouens Neapolim ad Regem expedita triremi ad id comparata delatus est: à quo omni humanitate, summo honore, ac impensa, Regio luxu est exceptus: & dum Neapoliegit, præter cæteras voluptates, quas præbet delitiosa Parthenope, maxima cum animi oblectatione, reliquum temporis, quod à gerendis rebus superesset, ue-

nationi datum est. Postremo non modò fortunis, & vita, sed patria in posterum extincto bello opportunè consuluit. Fœdere itaq; ad perpetuam societatem cum Rege icto, qua uenerat summa cum Senatus ac populi lætitia regressus est, cui omnis ætas per compita obuiam effusi, quod via propinquum erat compleuerant: mulieres occurrunt, maximam oculis haurientes voluptatem quòd optimè, feliciterq; compositis Reipublicæ rebus incolumis redierit ad suos. Quam ob causam, et si Pontifex non parua animi perturbatione motus esset, quòd Laurentius ad petendam culpæ ueniam Regem, non Sedem Apostolicam ab eo satis offensam adierit laborauerat satis superq; vt Romam proficisceretur. Riario impellente post eius reditum in patriam, omnis ira in odium, ac venenum in Regem effusa est. Milites primùm, qui Florentinorum oppidis bello captis præsidio inerant abducens, multa in eum minaciter questus est, inclamans se satis pro comperto habere Ferdinandum nec in bello fidissimè vsum viribus, nec in pace Sedi Apostolicæ honorem habuisse: cui si quando fortuna data esset, ad vltionem viribus vti cognoscet, ut eam nunquam impunè negligi satis appareat. At Rex ad demulcendam Pontificis iram conuersus, non destitit omni studio, ac lenitate adniti, vt persuaderet non tam pacis desiderio, quàm bello re bene gesta, quam solet fortuna uariare, prius quàm maior motus in Italia oriretur

retur

retur se auctorem pacis extitisse, quo magis Sedes Apostolica conditiones daret, quàm acciperet. Sed Pontificem firmo animo nunquam ab sententia discessisse, immò indiem crescente execrabili odio ad bellum cogitationes omnes intendisse. Dum hæc aguntur, Federicus ad balneas in agrum Viterbiensem proficiscens; animum ad Pontificem applicuit, Regis consilium accusans, qui eo inuito tandiu penes se Laurentium habuerit, quodq́ pacem pepigerit: quam suspicionem Riarius maximè auxit, quem vix eiectis Turcis ad paciscendam pacem Pontificis nomine Venetias proficiscentem Urbini cum Federico arcanis consilijs diu tempus triuisse constabat. Nec defuere, qui sererent litem; cœptumq́ odium futuri belli semen fomentis alerent: sic enim genti Italicæ mos est. Pontifex igitur ab Regis amicitia penitus abstractus in perpetuum cum Venetis fœdus iniјt, quod ab Riario Venetijs est sancitum, atq́ in Regem repentis belli causa ab vtrisq́ maximè quæsita est. Veneti interea, quorum ambitio incomparabilis est non modo serendis discordijs, abolendaq́ societati inter Pontificem, & Ferdinandum enixè studuerunt, verùm maius ausi nefas, Mahometum Asiæ Regem potentissimum insita feritate formidandum, ac sanctissimæ Christianæ religioni atrocissimum hostem ad subigendam imbellem Apuliam compulerunt, affirmantes inermem prouinciam, & diu bello desuetum populum facilius subigi,

Regemq́ exhaustum, ac alieno ære immersum nunquam suppetias iturum, & vt facilius ad capessendum bellum eius animum inclinent, classi affatim commeatus, & belli munia pollicentur, quod eo consilio factum esse constat, vti Alfonsus cum copiis ex agro Senensi amoueretur, ne ea Urbs in posterum Regium subiret Imperium quod ab initio belli Hetrusci maximè sunt veriti: sed pleriq́ mortalium, Florentinos quom ad vlciscendas iniurias occasio præstaretur, id cum Venetis clam molitos affirmant. Sub idem etiam tempus, ne ab Matthia Pannonia Rege inuicto Ferdinandi genero bellum esset illatum, quod maximè suspicabantur, Mahometo à quo summa vi oppugnabantur in Pharsalia quom tot bellorum impetus ferre non possent, ob impetratam pacem Philippi in Emathia cum his qui Boeben paludem circumcolunt sine mora sunt dediti, & nonaginta aureorum millia numerata. Mahometus uir vasti animi, & bellorum auidus, ut Apuliæ conditiones verius habeat, Admetum virum bello egregium mutato habitu rem omnem exploraturum in Italiam transmisit: atq́ vbi uera esse comperit, quæ à Ferdinandi hoste didicerat, comparata Byzantij classe sexdecim millia lecta virorum pectora conscripsit: duplex stipendium decernens, quòd militia quæ procul domo, terra, mariq́ est, magna pericula allatura videtur: quos quom non agendæ rei tempus esset principio

veris

ueris in Regnum ſub Admeto Duce eſſet moturus: tormenta, & quicquid longinquo, diutinoq; bello ad oppugnandas vrbes vſui eſſet claſſi iubet imponi, atq; Rhodijs minari vulgatum eſt: nec Regnum ſolum, ſed Italiam omnem occupare, ſi primordijs fortuna fauiſſet, animo verſabat. quam rem Appuli, ad quos celerius fama exierat, rerum ſuarum timidi, quòd primos fortunæ impetus eſſent excepturi, quom ſæpius Neapoli Diomedem Carraſam, & Antonellum Petrociam Regios conſiliarios admonuiſſent, per ludibrium audìti ſunt, & tanquam rerum externarum ignari ignominioſè dimiſſi.

IOANNIS

IOANNIS ALBINI LVCANI DE BELLO HYDRVNTINO ALFONSI II. ARAGONEI DVCIS CALABRIAE

LIBER SECVNDVS.

MAHOMETVS comparatis omnibus, quæ ad oppugnandas vrbes vsui essent, Sexdecim millia hominum robora classi iubet imponi: qui sub Admeto Duce clarissimo in exitu æstatis, quam Senis Alfonsus consumpserat, in Italiam traijcerent. nec temere aut inconsulte factum esse quis existimet: nam comparata Byzantij classe, pluribusue locis; Rhodijs, quos bello premebat acerrime minari vulgatior fama fuit: quòd à Francino Pastore viro intrepido duabus nauibus onerarijs Regium præsidium in medio belli ardore fuerat immissum: cumque etiam mariti-

ritimos fluctus exoriri, inclinata iam æstate tempus annueret, nec in quam orbis regionem se multitudo esset effusura, certius haberetur, nemo tam procul Admetum traiecturum putauerat. Qua spe QVÆ plurimos mortalium plerunque frustra habet, Rex elusus, hostem negligentius habuit. Sed quoniam Alfonsus in Hetruria procul Regno aberat cum exercitu, quem priusquam deportaret, suisque auxilio esset audito hostis aduentu complura oppida, & vrbes nullo præsidio firmata subigerentur, quas nec in sequentem hyemem capi posse ratio suadebat. His rebus omnibus circunspectis Admetus Baxa (ita bellorum Duces prouinciarumque Præfectos appellant) coacta classe statuit soluere: quo tempore frumentum etiam in vicis, villisque compressum non defuturum intelligebat. Prodigia aliquot sub idem tempus uisa. In monte Taburno Virginis simulachrum collachrymasse. Locustarum ingentem uim in Mesapiam delatam. In aliquibus Italiæ locis leniorem terremotum extitisse: & in agro Lucano Sacerdotem à lupo laniatum. quæ sunt à Rege summa diligentia procurata, & Sacellum in via Puteolana ad secundum ferè lapidem pedibus sæpius petitum, & tota vrbe supplicatum. E portu igitur Apolloniæ quo conuenerant, ad Mesapiæ litus ingentem Turcarum classem V. Kal. Sextilis (vti solet) fama vulgauit: cuius aduentus non modo Regnum sed Italiam

liam omnem terrore concusſit : nanque vbi primùm barbari in continentem egreſsi ſunt, nudatam omni auxilio prouinciam ſexcenti equites crebris incurſionibus nullo hoſte obuio vexant, & ingenti omnis generis præda abrepta, atroci agreſtium cæde, quacunque ierant per campos edita, Hydruntem vrbem maritimam dura obſidione circunſedunt. quam rem vbi Alfonſus paternis literis intellexit repentè Senis mouens ad aquas rubras propè Viterbium vnam noctem conquieuit, inde flectens iter in agrum Tudertinum, & Anarnienſem in Vmbria Aquilam: & Lanxanum præteruectus, vbi oppugnatam cognouit vrbem, mutilatum exercitum ducens nunquam intermiſſo itinere XII. caſtris Tarentum venit: cuius aduentus fama vulgata latius euagantes hoſtes coercuit: quorum immanitate Apulia occiſa iam, vbi ſalutis ſpes affulſit, cœpit reſpirare: prius nanque varia clade attrita ex locis omnibus cateruatim demigrabant miſeri mortales, nulla ſpe ſuffulti, fortunæ bona, liberos, & penates victoris arbitrio relinquentes, modo vitæ via quauis conſulerent. Alfonſus nihil immorandum ratus (ita temporum neceſsitas ferebat) Tarento quamprimum Lupias commigrauit: vbi quanta potuit celeritate ex veteranis, nouiſque militibus coegit exercitum: ſed complures externæ militiæ rudes, ac penitus ignaros domum ſe recipere iusſit, ra-

tus ea hyeme nondum communitam vrbem depugnaturum: quæ quinta decima die postquàm obsideri cœpta est, dies noctesque omni tormentorum genere fatigata in ditionem hostis peruenerat: qui, & si hactenus effusis populationibus locis omnibus satis terroris incusserit, vrbe tamen crudeliter diruta, vitæ spes populis omnibus, quorum fortuna facile mutat fidem, penitus est adempta: adeo barbara feritate sæuitum est. Admetus primùm omnium, post captum oppidum, præter eos, qui acri prælio egregiè pro patria ceciderant, mille captiuos, quibus Mars pepercerat, ad tertiam buccinam ante omnium oculos pro castris impiè truncari iussit: complures palo affigi: nec ab inermi abstinere, maior tamen pars in custodiam abducti, idque actum, vti oppida & vrbes, ne tam horrendam supplicij fœditatem subirent ad voluntariam deditionem inclinarentur: Deum delubra miserabiliter spoliata, in quibus circa ipsas aras nullo religionis metu obtruncato Antistite. quomque in pueros ingenuos, puellasque è complexu parentum raptas infandæ contumeliæ promiscuè ederentur, ritu ferarum, omnium animi procubuerunt: nihil denique flagitij in tanta victoria est prætermissum. Sed gens est ea præceps in fœdam libidinem, ac nata in feros tumultus, nihil pij, nihil sancti habens nam ab ineunte ætate, non ocio sub tectis, sed sæuissimis bellis, & niuosa hyeme assueta humano

san-

sanguine aspergi ducit egregium. Nec silentio prætereundum est, quàm obedienter Ducum Imperium ferant, signoque intenti sint: vix namque contacto equorum loris tympano, quod sellæ alligatum ferunt, effusi actutum in certamen proruunt. Item incredibili celeritate in ordinem coeunt. qua disciplina, & si Asiæ Imperium tam breui coaluerit, nemini mirum esse debet. Sunt, quos, præterea Xantos appellant, qui nullo stipendio aquam folliculis in prælium circunuehentes nudis bracchijs pugnantibus subministrant: Quibus rebus passim vulgatis non modo ex Regno, sed ex tota Italia complures excedere in animo volutabant. Fuere, qui in Bæticam transmiserint pecunias, vt essent ad iter expeditiores, si sors tulisset: nemo arma capere, nemo furentis hostis impetum propellere audebat: sed quisque desperatis rebus mulierum modo tendens victas manus nihil aliud, quàm incolumitatem sibi deposcebat, et demum Palmaritio, Roca, & Castro oppido direptis sine mora, ac fumantibus ruinis, præda omnis Hydruntem est conuecta, quæ vbi in angustum est redacta, relicta ea parte, quæ terra vetus dicebatur, duplici fossa muro intermedio, incredibile dictu est, quàm breui è continenti fuerit communita, propterea quòd relictis locis omnibus, eam tantum vrbem maritimam ad omnes casus et ad futuri belli munia tenere consilium fuit. euulsis vndique arboribus, ac erutis murorum vesti-

giis ut latè campus tormentis pateret, ne posset aliquando circumsideri: quæ occasio ab his præsertim, qui transmarina bella gerunt, omni studio quærenda est. Alfonsus intentissima cura contracto exercitu, et comparata Neapoli classe, quæ propter hyemis magnitudinem quom stare ad anchoram in salo non posset Brundusium est appulsa (is propinquior portus erat) et imminente graui tempestate, urbis oppugnationem in sequentem annum differre oportuit. opportunis itaque locis omnibus, oppidisque maritimis præsidio firmatis, Rocam in tecta concedere coactus est. Matthæus Campanus Corilianum, Iulius Aqueuiuus Starnaciam oppidum cum tribus equitum turmis obtinuit: munito Palmaritio nuper diruto, et Mineruino Mineruæ (ut ferunt) propter oleas dicato. At barbari uictores uagi, prædæ assueti, noctu præter Corilianum longius discedentes in agrum Lupiensem prædabundi in oculis subsidiorum descendunt, et coacta omnis generis præda, quà uenerant Hydruntem repetebant. Quod ubi Matthæus, et Aqueuiuus intellexere contractis uiribus ex locis propinquioribus per obliquos tramites æquo loco in hostem incompositum impetum dederunt, qui ubi haudquaquam parem se se futurum cognouit, uix tentato certamine, trucidatis primùm captiuis, et relicta præda uertitur in fugam; nec eo contentus Aqueuiuus, fugientem nanque cædendo propius Hydruntem incautius est persecutus. Sed huiuscemodi uiri delicti pœnam annuente

Mar-

Marte,repente subire solent. Admetus nanque ubi suos profligatos intellexit, conuulsis signis, omnibus equitibus peditibusq; quos Ianizaros appellant,haud cunctanter in patentem prodijt campum, fusis auxilia laturus et ubi primùm in hostem conuertit equos, prælium integratum est,momento temporis fortunæ pugnæ uersa est. Matthæus ubi inclinatam rem uidit,relictis ordinibus ante primam aciem cum trecentis ferme Equitibus capessit fugam, Aqueuiuus nullo pacto fugiendum esse ratus,ne suis trepidatio augeretur dum impulsam aciem trepidantesq; ordines firmare niteretur, barbarorum ingruit tempestas, et circumuentus accepto ab tergo uulnere, dum strenuè dimicat;equo prolapsus est: cui repente humeris caput est præcisum, quod clarissimæ uictoriæ testimonium Admetus ouans ad Mahometum deferre constituerat, ut eius animum ad occupandam Italiam facilius concitaret. Mos est illis in certaminibus ceruicem amputare cadentibus, ut duplex stipendium decernatur: qua spe ad eximiam uirtutem accensi, non mirum est, si ex omnibus bellis hactenus uictoriam reportarunt. Sed si Aqueuiuus fusis Equitibus (quod satis erat) qua uenerat in munimenta redijsset,nequaquam fuisset oppressus. Effugientium igitur per campos effusa fuga,passim miserabilis clades editur:nec arma abiecisse,aut dare uictas manus satis erat: tanta huic hominum generi feritas,atque hauriendi sanguinis sitis inest. Loisius Gentilis qui ultimo Agmini

præerat

praerat intra Mineruinum cum paucis admodum in tanto impetu compulsus est, fossa cadauerum cumulo repleta est. Sed quis non aeterno dolore afficeretur? quem non vitae taederet? quis non quoduis lethi genus prius oppeteret? quàm foedum spectaculum oculis hauriret. Italici generis milites bellis omnibus Martis pignus, obliti decoris, obliti inuicti generis, foedè abiectis armis, ueluti pecora iugulum mucroni praebentes, dum intra cadauerum aceruos delitescunt, multi foedum in modum trucidantur. Gentilis vbi suos ingenti pauore conterritos animaduertit, nec posse diutius tueri vallum in nudo loco, duobus tormenti ictibus (quod actutum collo sub iugum posito conuexerant) penè dirutum, transitionem ad hostem fecit, sed traditis armis Italico more libertate donatus est, existimans Admetus obseruatam fidem clementiae sibi famam conciliare. Cecidere eo praelio mille & quingenti uiri, par ferme numerus captus est: nec Barbaris fuit incruenta uictoria, qui et si post Alfonsi aduentum non tam effusè campo se credere ausi sunt hac victoria, quae omnium animos fregerat elati, quocunque bellica rabies, ac praedae spes traheret, non temere tamen ex ordinibus excedentes neglecto hoste, penetrare minimè verentur, omni calamitatum genere insultantes. Re igitur bello bene gesta, Admetus ingenti praeda onustus Ablonem traijcere curabat, inde ad Mahometum contendere, qui in sequentem annum

cogni-

cognitis Regni conditionibus, ad prosequendum bellum calidius inclinaretur. Alfonsus non modo suorum cæde anxius sed ob pestilentiam exinanita classe iratos esse Deos ob eorum violatam sedem maximè verebatur: nec propterea destitit ab inceptis, cognito nanque per transfugam Admeti consilio, qui onustus præda nauigijs in Macedoniam soluere parabat; ratione cohibens animi motus statuit nauali prælio fortunam experiri, ne quid sua negligentia esset prætermissum. Additis igitur difficulter terrestribus copijs in supplementum naualibus socijs, nondum sedata pestilentia, Galserandum Richsensem et Villamariam classis Præfectos, cæterosque recenti accepta clade conterritos in hunc modum est cohortatus: Admetum opulentum, et præda grauem strenui milites, in Macedoniam iter intendere satis exploratum habeo, quem tanta cum ignominia in oculis elabi nullo pacto ferendum arbitror. Tentanda est igitur fortuna, quæ nunquam audentibus deesse solet, faciendumque naualis certaminis periculum: ut ea nobis, non animus defuisse videatur: nonne emori æquius esse ducitis? quàm nostra ornamenta, spolia, tot ornatissimos viros, ac penates ipsos ab nostris sedibus ablatos ad barbaros deuehi? sunt æquo hæc ferenda animo? hæc de nobis monumenta sunt posteris relinquenda? ut quicquid vixerimus sit ignominiæ destinatum? vbi virtus bellica? vbi splendor rerum

rum

rum gestarumque quem tanto sudore, & sanguine clarissimis bellis omnibus comparastis? ubi illa uis uigorq; inuicti animi? qui ni hodie egregiè dimicando fuerit ostensus non nasci forsan fuerat satius: quis pauor mentes perculit? quis ante visum hostem metus animis nulla antehac tempestate prostratis insidet? non ne externa die fusum intellexistis? inde Matthaeus, & Aqueuiuus caedis auiditate, quom intemperantius insequerentur, (uti solet) repentè mutatam esse fortunam: à qua temeritas celerius deprehendi solet. Expergimini quaeso, obliti fortunarum, gloriaeque, obliti parentum ac liberorum, intuemini virtutem generis uestri, occurrat patriae hactenus malè defensus amor, occurrat libertas ipsa gratissimum Dei immortalis munus pro qua, ut in fabulis est, Cyclopes à Dijs gentium sunt in tartara fulminibus detrusi: quisque ergo animo confirmatus pro fide, ac libertate se pugnaturum intelligat: fusis nanque barbaris Dei benignitate (quod animus praesagit) bellum, quod intra patrios lares est, extinctum esse putetis: soluite quaeso, ne sit illis diuturnum gaudium, purgate tantam ignominiam, ite Dijs ducibus in praelium, vt duce uirtute, appareat nullis nos fortunae minis esse conterritos. His dictis ingenti alacritate, clamoreque sublatis anchoris Brundusio soluunt, & velis in altum datis, Adriatico sinu, secundo ventorum flatu deuehuntur. Venerat iam classis aequatis velis prope Sasonem

insulam

insulam, ubi expectandum hostem præfecti constituerant. SED solet fortuna insolens secundas mortalium res repentino impetu deterrere: quom illico aduerso Austro quatuor expeditæ naues Dyrrachium sunt appulsæ, triremes vix insulam tenuerunt. Die insequenti positis speculis per iuga insulæ ad multam lucem triginta vela è portu Mesapiæ soluentia conspexerunt, quæ tranquillo mari, aspirante vento in Apolloniæ portum conuolabant. Ex templo classis præfecti, aduocato consilio, quom in re tam trepida in unum congruerent omnium sententiæ, nullum cum hoste certamen inire constituunt, existimantes velorum numero se fore imparem, necdum etiam refectos milites ab maritima iactatione. Sed postquàm plenis velis ad se vident tendere, victi ingenti pudore, neue barbari Regiam classem certamen declinantem inuaderent, occupatis insulæ faucibus ad prælium animos inclinant. tectis itaque extemplo scuto triremibus, inclinatis malis, compositisque armamentis hostilem classem auidius expectant: verùm vbi primùm æqua fronte sunt in conspectu septem triremes omni telorum genere, ac iuuentutis flore completæ ad concurrendum paratæ, prælio est temperatum. SED addit interdum humanæ menti stimulos victus pudor, effrangitque plerunque timoris claustra. Facto itaque impetu in sequentia nauigia, complura quassatis aluis ponto sunt absorta, vulnerata permulta, capta septem

quæ remulco Neapolim acta sunt, ut appareret hostem tam immanem posse aliquando superari: quæ verò effugere non poterant, trucidatis captiuis, remige voluntariam sibi mortem consciscente vacua deprehendebantur (adeo huic hominum generi fœda est seruitus, & perchara libertas) Admetus interim expositis in terram copijs, veritus ne ab altero classis præfecto qui ultimo agmini praerat inuaderetur, iter per oppositum montem arborum densitate opacum arripere constituerat. Sed ita forte euenit, ut eo ipso tempore (quod omni voto expetiuerat) pelagus concitaretur, & exoptans malle fluctibus obrui, quàm viuum duci in potestatem Alfonsi, concitato pelago vela commisit, & amissa armamentorum parte euasit in tutum, non sine insigni utriusque præfecti ignominia. quæ fuga prodigij loco haberi capta est: nam nec Mahometum ob id sibi satis iratum adire ausus est, nec Hydruntem ad suos quibus spem fecerat redire. Qua victoria Alfonsi militibus animi sunt restituti, pauorque decessit: inde classis in locum unde soluerat retro flexa est. Interea appetente vere Alfonsus contrahendis copijs ex locis omnibus assiduus viritim stipendia persoluit: ut principio æstatis oppidum circunsedeat. ab socijs auxilia accersita, ab Ludouico primùm XL. aureorum millia, ab Florentinis (quibus oppida superiore bello capta, sunt restituta) socialem fidem colentibus XX. properè numerantur. Pontifex, etsi

etsi execrabilis odij monumenta animo versaret, ne Christianæ Religioni, Italicaue libertati defuisse indicaretur, XX. Ligurum triremes Regijs adiecit. Rex quinimò diutino bello exhaustus omne sacrum aurum, argentùmque, quod in Templis Diuorum immortalium ad solemnes pompas, sacrificiàque ab sacerdotibus summa custodia obseruabatur, signauit: ex quo militibus stipendia persoluerentur: quod finito bello fuit restitutum. Comparata igitur classe, quæ quatuor & viginti nauium, quadraginta triremium erat, præter alia nauigia, quæ commeatum aduehebant sub Antonello Sanseuerino Principe Salerni, ac Regni Admirato, quom propter vim tormentorum portum subire non possent, positis anchoris in conspectu vrbis locum cepere; naualem omnem hostis impetum exceptura: Alfonsus egressus hybernis, contracto ex locis omnibus exercitu Palmaritio mouens sexaginta ferè passus ab urbe castris locum cepit, ut barbarorum interea morem motusquè perdisceret. Positis igitur castris munito loco, hostium equites primùm supra oppositum collem repente in cuneum apparuerunt, vtraque ala peditum robore firmata. Sed vbi Alfonsus armatas copias intra munimenta continuit: prima vigilia tormentorum tempestas satis omnium animos conterruit: atque si eadem nocte in castra irrupissent, haud dubiè trucidassent ad unum, aut si daretur, fœdam verterentur in fugam. diffugiebant itaque turpiter

relictis castris occultiores latebras, quibus delitescerent quaritantes, tantus pauor omnibus erat iniectus. Die insequenti omnes ab Alfonso satis supèrque sunt castigati, qui ingenti pudore ac periculo admouente stimulos victi, metum omnem rubore abiecisse fassi sunt. Aduesperascebat iam Kal. Maijs, quom in speculis (vt fit) ijsdem stationibus inito leui certamine paulatim vtrinque toto robore est procursum, et pulso Turcarum equite è montis iugo, quo insederat, ad litus atrox certamen est accensum. Sed Matthaus decem equitum turmis, & tribus cohortibus prafectus si exorsus à tergo fuisset ad portam (quod imperatum erat) in medium interclusi barbari caderentur, aut immisti fugientibus milites vrbem fuissent ingressi. Urgebat nanque uehementer à latere Alfonsus cum turma pratoria compluribus passim vtrinque cadentibus. Verùm assuetior montibus hostis, leuiorque tum corporum velocitate, tum armorum habitu Alfonsi militem facile eludebat, & tandem multa in litore cade edita, armorum ui in oppidum compelluntur, nec Matthaus mouere ausus est: quid autem consilij habuerit, iudicent qui nouerunt. Cùmque in vrbe satis trepidaretur, occlusis raptim portis fugientium complures in ipso limine sunt casi, multi religata ad pinnam reste per muros admisi: sed nox certamini finem imposuit. Ab Graco quodam perfuga sexcentos uulneratos, casósque fuisse, cognitum est:

in

in castris centum quinquaginta uiri fortissimi desiderati, saucij ferè mille. Nocte insequenti Alfonsus oppidum obsidione cingendum esse in concione disseruit, ne sui animis imminuti viderentur, in quam sententiam ab omnibus præfectis itum est. Compositis igitur sarcinis secunda vigilia mouit, & diuiso ad portas robore, alteram ferentem in mare, alteram in continentem, ne libera exeundi potestas hosti daretur, factis de repente aggeribus, vallisque, castris præter eorum opinionem locum cepit, qui ne ad coniectum quidem tormenti vrbi exercitum hæsurum frequentiùs dictitauerant. Manè prima luce, vbi se terra marique circumseptos inspexerunt, satis terroris est additus: nec propterea defendendæ vrbi defuerunt. Per eosdem dies ab Matthia Pannoniæ Rege bellicosissimo octingenti milites, & ducenti equites duro bello aduersus Sarmatas assueti, traiecto sinu Hadriatico satis opportuno tempore Orthonum aduehuntur. Erat iam operibus tormentisque capta oppunari urbs, nec segnius defensa: fatigantur barbari assiduis tormentis, puteisque ueneno infectis. Vigilatur in castris, continuis eorum eruptionibus. Itur passim in urbem ereptis aggeribus: positisq; castellis. Igne iacto è muris accenso nitro, crebrisq; tormentis machinæ sæpius dissoluuntur. Iulius Pisanus uir strenuus cuniculo in urbem euadens, quom impenetrabilis silex occurrisset parumq; succederet, destitit ab incæpto. Cyrus quidam urbinas

aequa.

binas passim aggeribus vrbis fossa propinquans, et Orpheus genere Gallus uir integerrimus, qui olim rediens ab vrbe Hierosolymitana, soluto voto, ab Rege Neapoli comiter exceptus est, amplissimisque donis decoratus, audito demum Turcarum aduentu in Regnum è Gallia ocissimè conuolauit pro fide pugnaturus, qua sessione, posito castello, quod arci immineret (id sibi negotij datum erat) circumuallatis hostibus, effossisque murorum fundamentis, quom opera ac contextas fascibus viminibusque vias prohibere non possent, tuendæ vrbis spem penitus ademerunt. nec propterea quacunque vi possent sæuire cessatùm est. nondum redierat è prælio miles in castra (quod quibusdam incredibile uideri solet) quom de integro alio exorto ad arma celeriter est conclamatum, & mira quadam arte atque animi innata feritate, lacessito hoste missilibus (ita ad decernendum solent elicere, traherèque) fulgureis inde tormentis passim strages edebatur. Kal. Iulijs CCCC. equites desperatione ducti (nulla nanque gens est, quæ dubijs in rebus libentiùs ruat in ferrum) facto impetu in munimenta prorumpere sunt adorti: cùmque ad arma conclamaretur, quisque vti imperatum erat, suo ordine præsto adest, & accenso acri certamine, in quo tantùm de vita agebatur, utrinque viri fortissimi cadunt, consternunturque equi, vulnerantur complures nullo frustra misso telo, dum immobiles acies obstinatis

animis

animis cominus pugnam conſerunt, & nulla victis uitæ ſpes oſtenderetur. Non agitur cum barbaris Italico more, quo victi poſitis armis, equiſque vita donantur, ſed ſanguinem clarisſimum bellorum præmium eſſe volunt. Aſcadamus equitum præfectus uir magno animo in medio pugnæ ardore ferrata haſta Alfonſo brachium ex tranſuerſo concusſit: quam ob cauſam tertia poſt die, aurea ueſte donatur: poſtremò in fugam effuſi compelluntur in portam. Fuere, qui dum in mare ſe præcipitarent adnatando euaſere in tutum, quom in oppidum regredi ſpatium non eſſet, ita acies cohærebant. In quam partem omnia tormentorum genera, quæ ſupra mille erant, in bellantem hoſtem compoſuerant, quibus Alfonſi miles, quom reciperet ſe in munimenta grauiter eſt offenſus etenim quingenti cæduntur, vulnerant turque: ſed ea clades ſolerti Ducis conſilio tecta eſt, ne ſui animis caderent. nullam denique vrbem ab occaſu ad exortum ſolis tanta arte ingentibuſque animis oppugnatam, pertinaciùſque defenſam eſſe conſtat. Ita non die, non nocte ab operibus prælijſque eſt ceſſatum: tametſi in caſtris graui peſtilentia laboraretur, ægrorumque contactus maximè uulgaſſet morbum. Barbaris quinetiam tot modis fatigatis, nunquam animi ſunt imminuti, aut remisſius aliquid actum, nunquam colloquijs aures adhibuere: perfugas omnes, cognitis primùm quæ in caſtris agerentur, inde more ſuo in mare detur-

deturbabant. Tubicinem quendam ab Alfonso missum satis admonitum ne rediret vlterius, multa etenim effingentem vrbis spectatorem suspicantes obtruncant: tanta huic hominum generi bellis omnibus suspicio, & inhumana feritas est innata, ab Alfonso nemini eius generis transfugarum iniuriæ sunt illatæ, sed ut à cæteris fieret liberior transitio, omnibus sunt stipendia persoluta, comitèrque excepti, quam ob causam complures per muros elapsi in castra confugerunt. Exercitum præterea ex tot gentium colluuione, ita vno uinculo detinuit, ut nulla unquam inter ipsos fuerit orta seditio, & grauissimos labores ita pertulit, ut nunqnam positis armis quiescendi tempus absumeret, somnòue operam daret, sæpius etiam mutata veste ne agnosceretur scuto tectus supra murorum ruinas euasit, hostium intra vrbem munimenta uisurus. Saucijs etiam militibus, et morbo laborantibus incredibili pietate pariter opem tulit. Sed quom satis in ea ora bellatum esset, late que campi sanguine inundarent, exercitus præfecti, quos iam militiæ tæderet, prælio cingendam vrbem quæ erutis muris solòue æquatis facilius caperetur pertinacius contendunt: Alfonsus veritus ne uanis suorum conatibus hosti animus augeretur, suis segnior fieret, rem quantum poterat extrahebat, inuadendæ vrbis certius occasionem quærens. Sed quom in castris sermonis esset, propterea dilatum certamen, ne præda ab militibus diripe-

diriperetur, clasſico aduocata concione, ita diſſeruit. Nemo ex vobis milites finiri bellum magis exoptat, nemo vrbem patris ſubeſſe imperio, pro qua Italia tot clariſſimos viros uaria fortuna trucidatos luget, lugebitq́; quam ego, cuius maximè intereſt tum vt iam ſenior pater pacato Regno fruatur, tum vt rerum geſtarum gloria perpetuò apud poſteros vigeat nomen meum, quid plura loquar? dolerem ſatis ſuperque ſi ueſtris animis inſitum eſſe ſcirem me magis externarum rerum, quàm victoriæ ac nominis cupiditate teneri. Quid enim eſt, nolle vrbem depugnari, quàm diutino bello in viſceribus Regnum eſſe arſurum, incendiumque, quo ardeſcat alere? quid igitur hic conſedimus? quid duos annos multiplici clade fœdatos terra marique exercitus comparauimus? quid tot labores, & vitæ pericula ſubimus? Eijcite quæſo hanc animis vanam opinionem, capeſſite bonam mentem, et maiora indiem ab me ſperate: hactenus, quom nihil boni diuinaret animus, ſaluti veſtræ conſulens, neue temeraria ſpe potius quàm ratione mouerer prælio abſtinui: quod quidem omnibus pergratum fore putabam, nunc quia ita vobis eſt viſum, ne per me ſtetiſſe videatur, manè quom primùm illuxerit ſuſcepto uoto uos in certamen ducam, et Dei Opt. Max. beneficio uictoria eſt ſperanda, quod ſi ſuccedet, primùm vos monitos volo, ne quis fortunæ rerum cupiditate allectus acie excedat, quom ſatis fœda extent exempla (quod Deus

auertat) ſed ad occidionem animum applicet: cæſis nanque hoſtibus, præda omnis iure belli vobis eſt conceſſa, & ne vana hæc eſſe putetis, denuo capta vrbe hoſtium ſpolia, data fide, ueſtra eſſe edicimus, laborum emolumenta. curate igitur corpora, ut quales ubique viſi eſtis, tales exeatis in prælium. Interea præſidia diſponit: Matthæo quindecim equitum turmis præfecto, & tribus cohortibus caſtrorum cuſtodia, ne qua vis fieret commiſſa eſt, edictumque, dum ſeritur prælium, etiam ſi inclinatam viderit rem (quod Deus auertat) nunquam moueat, ſed intra munimenta armatas acies contineat. maritima vrbis pars, quæ eſt ad Auſtrum Pannonijs data: quæ ad Orientem, turmæ prætoriæ ſub Iacobo Comite, & Inico Daualo, qui Alaribus equitibus præerat Arci ex ea ſcilicet parte, quæ inexpugnabilis videbatur è continenti pontem iniungi mandauit, vt diuiſo hoſtis robore, tutius iretur in vrbem: reliqua pars, quæ mari abluitur, claſſe cingitur. Paratis igitur rebus omnibus ad certamen, die inſequenti in tabernaculo Ducis perpetrato ſolemniter ſacro, ad oppidi expugnationem quiſque impigrè ingenti alacritate ſuo ordine adeſt. Pannonij acta teſtudine tripudijs ſcuta quatientes armorum crepitu in patrium morem carmen canentes ſigna in prælium ſequebantur. Iacobus Comes ubi prætoriam turmam ad pugnæ locum erexit, non expectato ſigno, lecta virorum pectora, poſito metu, in murorum

ruinas

ruinas superuadunt, supra quos Galeatius Caracciolus iuuenis acerrimus militare signum affixit, ut primi in oppidum ingressi eximiæ virtutis gloriam consequerentur, ac immortalia de se monumenta relinquerent, & cæteri ad tam clarum facinus incenderentur: nec segnius urgent à latere Pannonij, quisque annitens æmulatione vadendi in vrbem egregiæ virtutis monumentum posteris relinquere, ne cum corpore penitus nomen intereat. Propugnatores patrio more, lustrato oppido, missilibus ollisque sulphure oppletis flammas euomentibus summouere hostem, ac mœnia intrepidè tueri pari studio annitebantur, & vbi plurimùm periculi ostendebatur, ibi ui maiore obsistebant. Milites prætoriani animis freti, vbi audenter in muris apparuere tormentorum tempestates, ac telorum omnis generis ui, quæ ex oppido euolabat, maximè obteruntur. Complures nanque in primo impetu conciderunt, vulneranturque grauiter permulti, quam ob causam repentè humi prosternuntur, & certis ordinibus terror est additus, extincto illo animorum ardore, qui nuper apparuerat. Alfonsus vbi id animaduertit, concitato equo nunc cohortatione militum animos incendens, nunc ignauiæ accusans in prælium acuebat. Sed quom nemo humo se auderet attollere, cùmque irritum videret incœptum, facto in omnes urbis partes impetu, ut certius rem haberet, locique situm contemplaretur bis citato per medias acies

 equo

equo, supra murum armis insignibus euectus est: atque vbi ingentem despexit fossam, vrbèmque nec vi expugnabilem esse, quom nullo loco militi aditus pateret, statim receptui signum dedit: quo prælio centum viri occubuere, trecenti, facta conquisitione, saucij sunt inuenti. Proxima inde nocte, ne Alfonsus animo concidisse videretur, paruo dirimente interuallo, ad murum cohortes in statione collocat, cominus vsque pugnaturas, quem ab imo subruere statuerat, vt secundo certamine, qua patefactum oppidum, ruinis aditus pateret. Interea Mahometum Byzantij decessisse fama allatum est. Quod vbi est barbaris nuntiatum, maximè cæperunt labare, inclinatam penitus fortunam iudicantes. SED mortalium res eo ordine meant, ut nulla sit diuturna felicitas, quam in medio cursu fortunæ inuidia perrumpit. Atque vbi nullam ante pactionem auribus admiserant, tum demum amissa spe præsidij & cæde ac morbo attenuati, quonam modo colloquia ineant, summo studio quæritabant. Post demum longa hinc atque illinc colloquia, ita conuenit, ut eorum vnus, duoue Regijs triremibus Ablonem traijcerent, datis totidem Alfonso obsidibus (ita mutuis pignoribus obligantur) et alter amboue simul Mahometi mortem, vitamque diligentius perdiscerent, atque vbi decessisse compererint spe certa uitæ dederent vrbem, ipsi quò velint liberè transueherentur. Interim Solimes Eunuchus vir illustris, qui

Ablo-

Ablonem, maritimamque oram præsidio tuebatur, quom Ceraunijs populis, quos regia classis premebat, auxilia ferret, inito cum Illyrijs certamine ad saxa Acroceraunia fugatus, captusque est, quem repente mille aureis redemptum Albinus aduexit in Regnum, vt arcani siquid ab Mahometo tenuisset Alfonso patefaceret, qui post finitum bellum ab Rege manumissus est. Dum hæc aguntur, qui Ablonem traiecerant, certius Mahometum decessisse comperiunt: in quorum reditu Alfonso oppidum est restitutum: et vt ipsi datam sibi fidem obseruari cognoscerent, nauigijs, quæ ad fortunæ casus subduxerunt impositi, facta abeundi potestate, statim soluunt, sed aduerso vento ad litus vnde conscenderant sunt reiecti, tanquam delictorum pœnas pensuri. Complures siquidem Appulæ puellulæ barbaro cultu, & lingua, quam facile duobus annis didicerant in nauigijs deteguntur, quod vbi passim disseminatur streperentque omnia, repentè ab exercitu cæterisq. qui uisendi studio uictum hostem, urbemque miserabiliter dirutam confluxerant arreptis armis fuisset acerbè sæuitum, trucidarenturque ad vnum, ni Alfonsi aduentu fuisset à cæde temperatum, & militum impetus, furorque suppressus, quibus sæuissima parentum fratrumue clades, aut captiuorum dolor ingens iustas acuebat iras. Ceciderant nanque eo bello, missique sub iugum supra uiginti quinque hominum millia. Barbarorum ergo

pars

pars, quos vis reliquerat belli, in Macedoniam traijciunt. Complures sub Alfonso stipendijs meruere. Quibus rebus compositis Alfonsus in tanta uictoria, fortunaque occasione belli terrorem ingentis gloriæ, quam despondere sors uidebatur, in Macedoniam trasferendum constituerat. quam omni præsidio destitutam facilius subigi compertum habebat: maxima nanque populorum pars, militesque omnes Byzantium conuenerant, ubi morte Mahometi de regno inter frates erat certamen: de quo bello consultatio ad regem reiecta est. Delectus itaque interim habetur, conscripserat bina peditum millia, et mille armatos equites, qui classe adueherentur, paratis triginta dierum cibarijs. Comparatis igitur rebus omnibus, explorataque regione, in quam primùm copiæ se effusuræ essent, Cardinalis Ligur, qui classi Pontificis praerat eius mandato repente viginti Ligurum triremes ad Ostia Tyberina reduxit, nondum ènim conceptum à Pontifice odium in Regem bello Hetrusco consenuerat, sed pulso terra marique hoste immanissimo Christianæ religioni Italicæque saluti, Pontifex ad noua consilia animum intendens fecisse satis dictitabat.

IOANNIS

IOANNIS ALBINI LVCANI DE BELLO INTESTINO ALFONSI II. ARAGONEI DVCIS CALABRIAE LIBER QVINTVS.

ICTO fœdere cum Venetis apud Balneolum oppidum in agro Cenomano, redditis vtrinq; captis bello oppidis locisq; omnibus, Alfonsus in Regnum contendens cum Senatu Florentino, Laurentioq; fidem futuræ amicitiæ sanciuit, statuens in omnem casum fortunam habere communem. Erat iter expeditissimum per agrum Picenum, sed Innocentium genere Ligurem, qui eo anno Pont. Max. creatus, vt ne quid admirationis mente conciperet adire pernecessarium duxit, & omni studio, ac obsequio ad componendam perpetui fœderis societatem

cietatem, quod maximè paternis literis esset admonitus, studuit allicere. Etenim Alfonsus Rex moriens Ferdinando filio præcepit, uti Romanos Pontifices summa semper veneratione prosequeretur, quod ad Regni conseruationem præcipuè spectare censebat. Vbi Romam venit eo apparatu, ac comitate exceptus est, vt beneficia, quæ olim Pontifex ab Alfonso, & Ferdinando Rege accepisset memoria tenere facillimè iudicaretur. Egit itaq; siquando Veneti occasionem nacti bellum inferrent, nunquam Regem ab eo diuelli: item Insubriæ Ducem, & Florentinos facturos affirmat, commemorans vbi id inuiolabile obseruaretur, fore ut aliquando diu Italia pacem esset habitura, quod ad Sedis Apostolicæ maiestatem, ac nominis eius præsertim decus, & sempiternam gloriam cederet: Etenim quom terrestri maritimoq; apparatu longè superiores sint, facilè Venetos in fœdera ituros, aut arma deposituros (ut par erat) iudicauit. Quibus rebus cum Pontifice compositis, uia Appia flectens iter in agrum Priuernatem in Volscis in Fundanum emergens celeriter ad Regem uenit, quem diutino bello, quod terra mariq; illatum fuerat exhaustum obæratumq; comperit, & suadente Antonello Petrocia, & Francisco Coppula quæstore nouum uectigal, futuri belli semen populi sunt pendere coacti, haud aliter militem ex hybernis vbi opus esset sub signis haberi posse contendunt: quod nulla ratione factum esse

constat

constat, nisi vt detecta coniuratione in Regem, Alfonsumq́; vniuersa etiam Regni plebs facilius concitaretur. Interea Pyrrhus Baucius Altemuræ Princeps materno sanguine Alfonso coniunctus. Antonellus Sanseuerinus Salerni Princeps. Hieronymus Bisiniani Princeps. Barnabas Comes Lauriæ et Carolus ex eadem familia Mileti Comes. Andreas Matthæus Aqueuiuus Princeps Terami, et Marchio Bitonti, et Petrus Ghiuarius Vasti Aimonis Marchio defectionis principes viri potentissimi (complures Regni Regulos dementissimi consilij participes in medium relinquere consilium fuit) nulla maximè sumendi belli oblata causa, nisi quòd idem Petrocia Copulaq́; homines facinorosi tam impiè ingrati, quos scelerum magnitudo, ac maleficiorum conscientia premebat, quòd Regnum tot annos exhauserant: cætera commemorare animus reformidat. sceleratam conspirationem fomentis alunt. clam discordias serunt, ac sub Alfonsi nomine falsis literis ad patrem adulterino signo affirmant, quanto res in discrimine esset, & ni properè suis rebus consulant, sibi capitis iudicium imminere, repente clandestino fœdere ac consilio inter se prius habito conspirant, legatos ad concitandos popularium animos fallaci spe passim dimittunt, & demum aperto bello, quod antea animo agitauerant, utrunque Regno detrudere moliuntur. Antonellum præterea & Ioannem Sanseuerinum fratrem Tursij comitem insigni impie-

tate imbutos, priusquam Neapoli discederent nondum dimisso conuiuio, de nece Alfonsi in ædibus Hieronyimi noctu bis agitasse compertum est: quod facillimè fieret, ni animis concidissent: quo sublato dissimilem belli euentum celerius fortuna præbuisset. Vbi totius sceleris fons apertus est, ac omnia inita consilia certo auctore detecta tam ancipiti malo Alfonsus in Pelignis ad Aternum amnem X X X. equitum turmas in castra coegit (ordo enim turmarum quinque et uiginti armatos equites habebat) eo consilio vti rebellionis auctores insperato adoriretur ducens iniurias vlcisci, et imminentem belli tempestatem facilè extingui posse, priusquàm conuenirent, & copias in aciem educerent, Sed Rex qui tot oblatis conditionibus coniuratorum animos ad componendas res, reconciliandamq; pacem flectere non desperasset, vehementer est aduersatus, existimans ea præsertim ætate, quâ sexagesimum ferè annum ageret, tot principes vno tempore defecisse insigni turpitudinis nota inuri, et summam rerum in discrimen adduci, sed irrita promissa omnia deciderunt, nam dum bellum vitare nixus est vehementius aluit. Dum hæc aguntur Ghiuario, Tursio, et Carolo viris seditiosissimis diuersis itineribus Romam missis, cæteri coniurati cum Rege de pace arctius agunt, vt fallaci spe implicitus teneatur, donec legati Pontificem adeant: E quibus potestate dicendi facta Tursius multa questus Regem in primis Alfonsumq;

vehemen-

vehementer criminatur, ut Pontifici persuadeat iustum bellum legitimè suscipiat, commemorans coniuratos potentissimos, Regias præterea vrbes, cæterosq; Regni primores per tot annos tributo exaustos, veteri quodam odio in Regem, Apostolicæ sedis signa interpidè secuturos, populis insuper quotidianis iniurijs supra modum lacessitis inuisos, rerum omnium egenos, vndiq; bello cinctos, breui Regno eijci posse, præsertim quòd ditissima, ac populosissima vrbs Aquila, totius regionis caput, Apostolicæ sedis Imperium datis obsidibus subire deposcit, cuius vrbis defectionem ad Aragonei nominis internecionem satis esse putaret. Antonellus præterea, et cæteri maximis, diuersisq; pollicitationibus proposita in primis libertate rebus omnibus præstantiore Regni Regulos, & Populum ad tantum bellum excitare non desinunt fidem obligantes omni pecuniarum exactione immunes, nec vllum vectigal posthac in publicum ærarium pensuros, ipsi quom primùm Apostolicæ Sedis animum intellexerint aperto Marte Regi bellum indicent: postremo iureiurando interposito affirmat ni oblatam conditionem accipiat non modo Regnum, sed Italiam omnem Turcarum imperio breui cessuram eò nanq; miserabile, ac spoliatum penè Regnum redactum sciat, ut interitus priusqàm tam infelix vita ab omnibus expetatur rerum omnium libertate adempta. Motus his verbis Pontifex nouarum rerum auidus ob tanti Re-

gni cupiditatem oblatam opportunitatem auidè amplexus est. E vestigio itaq; Carolum ad suos remittit, quibus nuntiet Sedem Apostolicam pro consuetudine legitimam belli causam suscepisse, ac prompto animo, & viribus illorum præsidio nunquam defuturam: interea si quid de pace ageretur, quod facillimè fiet, spe Regem teneant, donec Robertus Sanseuerinus Apostolicæ Sedis Imperator coacto exercitu Rauenna moueat, ipsi etiam pro tempore, atq; periculo, quàm maximas copias comparent, et quoscunq; propositis præmijs inuitent, et ad belli societatem impellant, si quam dicunt victoriam, ac libertatem animo habeant. Sumendum nanque bellum est, ut in victoria conquiescant, quod facilè succedet si concordia, & ratione omnia metientur. Spem præterea non aliunde pendere existiment (quom populorum animi varij, atq; instabiles sint) quam obrem, ne postremum suscepti belli pœniteat, primum intelligant non esse cum eo hoste certamen, quo cum aliqua pacis conditio esse possit, nec credant posse interdum Regis animum beneficio molliri. Idcirco, et vires, & omnem industriam adhibeant ab fortuna decus, immortalem gloriam, ac sanctissimam libertatem ante oculos constitui non ignorent, ad quam recuperandam eximendumq; tam graue iugum vniuersa excitabitur Italia, utantur ergo, si viri sunt, immortalis Dei munere, quem honestissimis hominum votis semper adesse perspicuum est.

vice-

vicerunt tandem si fortiter omnia, ac constanter ferre didicerint. Sedem Apostolicam nulla in re deesse cognoscent modò ne sibi ipsi defuisse videantur. Post hæc ob incertum Martem omni cunctatione abiecta, nouos militum delectus habet. Robertum numerata grandi pecunia celeriter venire iubet, quæ res Tursio demandata est. Venetis insuper, Insubriæ Duci, Florentinis, Laurentioq; in primis rem omnem per legatos, literasq; patefacere visum fuit, quos enixè orat, vt in tanta rerum occasione Apostolicæ Sedi non desint, quom hæreditarium Regnum Neapolitanum iure tueri, et iniurias propellere cogatur, vel saltem domi se teneant, nec in tanto temporum motu Regi opitulentur, quem per summam in rebus omnibus licentiam, non modo Principes, uerùm populi capitali odio prosequentes nullo pacto vltra ferre constituerunt, ad aram Sedis Apostolicæ supplices confugere, cuius ne diutius affligantur, auxilium implorant quibus profecto succurrendum & diuina, & humana iura deposcunt. Hæc vbi ex legatorum literis Rex satis offensus intellexit, paterni monitus non immemor, humanitate, ac sapientia bellum extingui ratus priusquam arma caperentur, Ioannem filium Cardinalem confestim ad Pontificem mittit, quem oret vti incendium non modo Regnum, sed Italiam omnem euersurum properè extinguat, quod optimi, æquissimiq; Pontificis munus est, nec præbeat aures his præsertim, qui tranquillitati

quillitati aduersi nouos motus falsis criminibus suscitare nituntur. Etenim cùm causam æquiore animo pensitauerit consilium mutabit, nam si semel sanguine imbuissent manus haud facilè bello finem statuet. quid igitur causæ est, cur bellum magis quam pacem, & Italiæ tranquillitatem exoptet? nulla vnquam iniuria lacessitus, nec verbo quidem violatus, sed in summa semper veneratione habitus, omni præterea studio, ac industria procuratum vti Pontifex crearetur: bello ergo tam nefario abstineat, Deumq́; pro iusta stantem causa, tam inauditum facinus, ingratumq́; animum minimè ferre consideret, si minus, pro Regia libertate tuenda, Ferdinandum nec fortunæ bonis, nec sanguini parcere cognoscet. Exacta irrita legatione (nam Pontifex animum penitus ad bellum inclinauerat) Cardinalis paucis post diebus Romæ cessit è vita: cuius morte audita, obortis lachrymis satis sciitè Rex inquit Semper humanarum rerum conditionem suspectam duximus, sed in hac calamitate solatium est multo prius id vulnus inspexisse, iam pridem furentis fortunæ tela, ac graues ictus ferre didicimus, sæuiat ergo quantum velit in nos, nunquam tamen eius minis noster animus succubuisse dicetur. Eodem anno aliquot prodigia sunt nuntiata. In agro Casinate ædem Diui Benedicti horrendo teli fragore bis fulmine ictam, decussumq́; Diuæ Virginis marmoreum simulachrum. Neapoli in via

virginum

virginum (ita dicunt) diua Mariæ signum sanguinem sudasse. ex arce noua fulmine deiectum apicem, & in agro Lucano nocturnas hominum imagines candida veste visas, quæ sunt nulla diligentia procurata. Dum hæc aguntur, nequicquam tentata pace, de qua Pontificis iussu in Apulia agebatur, Rex Neapolim rediuit: coniurati velut deliberabundi Salernum conuenere, atq; in eius interitum sub insidiosa pacis conditione (ita finiri bellum rati) studium, & curas omnes converterunt, & demum post varias sententias id consilij ineunt, vt in colloquio, quod spe non penitus præcisa pacis cum Antonello, & Hieronymo Rex habiturus esset, dispositis apud Sarnum amnem insidijs (eo conuenire constituerant) aliquot prius vlneribus confoderetur, quàm succurri posset, quibus patefactis Dei benignitate, in cuius tutela sunt Reges, desperata pace omne consilium in funestum bellum conuerterunt. Pontificis signa haud mediocri pompa bellorumq; simulachris repentè Salerni erexere, edictumq; nunquam de pace agi nisi exacto extinctoq; nomine Aragoneo. Federicus, & Petrocia, quos nuper ad spem constituendæ pacis acciuerant contra ius gentium detenti; sed Corsi cuiusdam ope ab Federico pecunia corrupti paucis post diebus custodum negligentia secunda noctis vigilia expedita cymba deuehuntur. Sed vbi primùm lux fugam aperuit frustra qui sequerentur missi sunt. Per idem ferè tem-

pus

pus Aquilani suadente Vespasiano Gallioffo ciue primario, repentino contumultu arreptis armis, maiorem peditatus Regij partem, quibus urbis custodia demandata erat, occidunt, inter quos Antonium Cicinellum Equestris ordinis Neapolitani consilio clarum obtruncant, pauci admodum, qui cædi superfuerunt fuga saluti consuluere, inde Pontifici se dediderunt, cuius signa in foro posita abiectis Regijs uenerantur. nummos æneos statim cudunt, quorum altera parte claues Apostolicæ Sedis insignia, altera uerò passis alis Aquila sub cuius pedibus latinis literis incisa est, Aquilana libertas. Fuit hæc non mediocris Regi plaga, nam crescente indies malo complura Lucaniæ, Apuliæq; oppida nomine libertatis allecta defecerunt, plerosq; etiam Regni potentiores dubijs rebus neutram in partem inclinasse manifestum est, expectantes cui demum fortuna affulserit, eidem se consilia applicaturos. Constat sub idem fermè tempus Ferdinandum Regis ex pellice filium fugientem ad Antonellum sororis coniugio iunctum noctù apud Pompeios deprehensum in carcerem detrusum. Ghiuarius Salerno per agrum Hirpinum ad Baucium rediens, ni sub Federici nomine primi Hirpinorum antecursores eluderentur, fuisset oppressus, sed amissis sarcinis, in quibus omne rebellium consilium detectum est, concitato equo difficulter obliquo nemoris calle euasit. Vndique furens bellum fortuna minabatur; ubique acuuntur arma

ma

ma in Regem, nihil tutum intra Regni fines, nihil insidijs vacuum ostendebatur, Rex nullo præsidio suffultus, tot imminentibus malis circumuentus, quom nulla Regni pars publico, & occulto hoste vacaret, quomque domi, & foris grauissimum bellum appareret, inclinante se fortuna ad hostem propiùs libertatē, ac vitā periculum sæpissimè indicauit, nec propterea destitit sedulò per arcana colloquia literasue rebellantium animos pollicitationibus conciliare, ut positis armis quietè, ac tranquillè viuerent, affirmans leges, quibus liberi sint sine controuersia, concessurum: sed perditi spe victoriæ ferociores, quam propè in manibus tenere arbitrabantur, nec oblata fortuna, nec libertate contenti in pertinacia odij execrabilis obdurauerunt: nihil vnquam pacati respondere, sed omnem de pace actionem, tanquam sibi portenti, aut prodigij simile insita animis feritate penitus repudiauerunt, quibus Ioannes Ruuerus Ligur vrbis præfectus, qui ex agro Sorano in Casinatem in via Latina iàm iàm irrumpens adiuncta tot regulorum conspiratione, qui postremò non adfuerunt, animos faciebat. Alfonsus in rebelles diuisum habens militem ad Vulturnum in Sidicinis vix quinque equitum turmas in castra coegerat (fœderatorum auxilia tum incerta) domestico, externoq; hosti se minimè suffecturum ducebat, quom Regnum præsertim vndiq; bello flagraret. Dubijs itaq; formidolosisq; temporibus Ioannem Albi-

K *num*

num Lucanum spectata, & diu cognita fide ad Virginium Vrsinum virum praestantissimum, et bello clarum mittit, quem oret vti iure veteris amicitiae opem auxiliumq; (hac fortunae tempestate praesertim) Regi non deneget & oblatam commemoret occasionem, qua non modo amissas olim bello vrbes in agro Romano, sed immortalitatis nomen (quod maius est) adipisci velit, eum nanque Regni patrem, ac Regiae libertatis acerrimum propugnatorem (quod maximum est praemium) mortalibus non immemor posteritas commemorabit: Nolam insuper vrbem egregiam in agro Campano, arcesq; & loca omnia, quae olim Vrsi in re militari viri clarissimi fuere, dono accipiat. Regem ergo, & amicum Imperio natum in foedissimam seruitutem per Diuos foederum arbitros elabi, & Regno extorrem, cum liberis, et coniuge eijci non sinat. His auditis Virginius gloriae auidus Regiam sortem commiseratus. Nulla res est inquit, quae me ad suscipiendum bellum in Pontificem magis incendat, quàm gloriae, nominisq; cupiditas, ea loca, quae olim nostri generis fuere Nicolao, Iulio, & Paulo Vrsinis viris fortissimis Rex elargiatur, mihi verò in tanto fortunae impetu, ante beneficiorum non immemori, belli decus clarissimum praemium satis erit: sum tamen in faucibus vrbis, hinc Sutrino, veiente hinc Albine septum aspicis, mea omnia praesidijs nudata, Pontifex praeter veteranos ex tota Italia milites conscribit, quem

maximas

maximas equitum peditumq; copias breui contractuurum inspicio: Robertus comparato ingenti exercitu, primùm in meum exitium, pestemquè meorum festinat, quorum impetum ferre perdifficile esse duco: populos meos, Bracchianos in primis, cùmprimum hostis in agrum Tarquiniensem frumentatum irruperit defecisse putato, noui praterea Marsorum animum, Albensium prasertim Columnensibus propensiorem: Auezanum oppidum prope Fucinum ante hostis aduentum deditionem facere compertum habeo, adeò nouarum rerum gens est auida, non possunt paruo prasidio tot loca immunita defendi, quibus si non fuerit maturè prouisum serò pœnitebit, ego actum puto de Rege ni Insubrium Dux, & Florentini firmissima subsidia celerrimè mittant: his nanque locis detinendum hostem ne pedem inferat in Regnum, hic obstandum arbitror; nam Pontifex acri bello implicitus (quom Romani peruastatis agris, uillarum incendia, ac cadem nullo pacto ferre queant) consilium mutabit; & pacis conditiones, quas dare molitur inuitus accipere cogetur, & id apprimè ad Regis conseruationem, hac grauissima belli offensione pernecessarium duco: me verò in omnem euentum (dum quicquam virium superfit) in discrimen adducere, nec sanguini parsurum pro Regia libertate Alfonsus cognoscet. hac tamen omnia Laurentij consilio, quem offendes ad balneas Philippicas in agro Senensi, agenda primùm

censeo, inde cum Ludouico, in cuius gremio positam intueor uictoriam. Albinus impigrè Laurentium conuenit, qui primo congressu Regem vehementer est admiratus, quòd turbulentissimis temporibus negligenter ab amicis auxilia petebat; summa arte agendum esse inquit, Aquilanorum defectione præsertim, vti Senatus Florentinus (nondum superioris belli obliterata memoria) Virginio stipendia persoluat, & in hostem copias mittat, quom bello Hetrusco satis grande æs alienum conflauerit, complures vicos exustos ægerrimè tulerit, quas iniurias nuper ab Alfonso illatas, ne his temporibus reminiscatur satis vereor: difficile etenim est lacessitæ plebis instabilem animum cohibere, non deerit tamen causa, quin Regias foueat partes, quanquam Pontifex multa populo Florentino pollicetur, modò bello abstineat, cuius ingenium quantùm ab rebus bellicis abhorret probè noui, qua in re satis mihi censeo elaborandum, sed illud omni celeritate efficiendum arbitror, vti Lodouicus intelligat ni Rex in tanto impetu seruatus fuerit, libertatem nostram perditum iri; quid superiore tempore in Rempublicam Florentinam patratum fuerit, Floræ templum fraterna cæde, & meo sanguine pollutum perpetuò meminerit. Vnum tamen est, quod maximè vereor quodque mihi dolorem inurit, ne Ludouicus, ob præterita bella, quibus ingens auri pondus impendisse mecum sæpissimè questus est,

& pesti-

& pestilentiam, qua Mediolanum grauiter adhuc laborat, deneget Regi opitulari, tamen tentanda est fortuna, nec vnquam desperandum: fortasse audito communi discrimine in salubriorem partem deflectet animum, quò magis in Robertum odio exardet, ad quem opprimendum, ni me animus fallit, totis viribus occurret. Albinus continuato itinere apud Villamnouam in agro Mediolanensi Ludouicum conuenit, cui commune discrimen explicans, quid Pontifex, & Robertus animo versarent, firmissimis rationibus edocuit, non enim tantùm de Regno, sed de totius Italiæ salute ambigebatur, quam eiecto Rege Sedis Apostolicæ Imperio facilè cessuram arbitrabantur. Hæc, & Regni miseras conditiones Ludouicus quom accepisset. Satis inquit exploratum habeo coniuratorum odium, ac venenum in Regem, Alfonsumque, illorum etiam virtus in rebus bellicis, satis superque cognita est, quos nunquam collatis signis pugnaturos esse crediderim, sed tantùm ad populandos, exurendosque finitimorum agros, & rapienda pecora studium omne conuersuros: at illud magis me deterret, ne populi, in quibus nullum est consilium, nouarum rerum expectatione suspensi, otio, & quieti aduersi, audito libertatis nomine, quod dulce est, ad Pontificem inclinent, quom facilè fortuna mutet fidem, veruntamen, quom intellexerint præsidia nostra Florentinorum,

Vrsino-

Vrsinorumq́, Regi non defutura, fortasse in fide perstabunt. Volo igitur in tanto rerum motu, cum Rege propè desperato communem belli fortunam, quod collata iampridem officia, ac necessitudo exigere videntur. Etenim quid Robertus ac cateri moliantur non me fugit, nihil nisi sæuum cogitant, & loquuntur, & demum omnia victores audebunt, quam ob causam nihil censeo immorandum, ego & Senatus Florentinus L X. aureorum millia durante bello annua stipendia Virginio annumeramus. mille praterea armatos milites ex veteranis, qui in agro Parmensi hybernant eidem adiungam, item etiam Florentinos pro viribus facturos affirmo: hanc vnam salutis viam, ac medicinam (quod Deus approbet) tot incommodis, ad tutandum Regium nomen Aragoneum adeo Regni Regulis inuisum, ne occidat inspicio, illud tamen in primis diligentissimè Alfonso animaduertendum sit (relictis paucis admodum copijs aduersus rebelles) ipse cum reliquis Roberto se obijciat, ne pedem inferat in Regnum, nolo tamen pralium temere ineat, nisi Robertus sua temeritate ruere voluerit, quem si semel spes eluserit, Pontifici inuisus reddetur, et Regni labantes populorum animi confirmabuntur, si quis etiam ad hostem mentem applicuerit, nec dum detectus facillimè spero è consilio discessurum, & hac belli gerendi uia tutissima visa est, Regnum praterea nouis uectigalibus impositis grauissimoq́, tributo, quibus

bus populum premi fama peruagatur, haud cunctanter Rex absoluat, nulla etenim Regnis capitalior pestis est, quàm nouæ pecuniarum exactiones quibus sæpissimè summa Imperia corruere, promissa etiam omnibus obseruentur, quod in Principe præcipuum esse debet, idque firmissimum Imperij fundamentum, siquidem Pontifex extinctam, ac sepultam in Regno fidem passim inclamat. Ergo quom ita tempus, necessitasq; admoneat maturandum reor, nec expectandum quid hostis moliatur, nam si ad colligendas vires spatium præbebitur bellum diutissimè duci prospicio, cuius reliquiæ in posterum grauiores motus excitabunt, nec vnquam Regni res pacatas Rex habebit, Alfonsum præterea multa maioreq; perturbatione implicitum animaduerto, ex qua si non vitauerit summa diligentia maius illi insurget incendium, quod ex interceptis diplomatibus satis deprehendi potuit. Quæ omnia vbi Albini literis cognita sunt, Alfonsus repentè Scipionem Pandonum Venafri Comitem uirum integerrimum, cum sex equitum turmis oppido Casinati præfecit munitis castellis, quæ scatebræ fluminis adiacent (in eam partem maximè verebatur, ne Ruuerus irrumperet) ipse cum reliquo exercitu è Sidicinis Corfinium in Pelignis traiecit. Post eius diei diem in Arbonam collem in Marrucinis, haud procul ab Theate mouere iussit, uti eius aduentus vrbibus, quæ in ea regione essent nuntiatus firmiores hominum animos

redderet,

redderet, hostis audacia ab agrorum excursione coerceretur, & siquid interdum duriùs accidisset, celeriùs succurreret. Locus est natura munitus, ab occidente Aternus amnis interluit, ab Septemtrione peraltis conuallibus omnibus fermè inuijs clauditur, vnde in omnem locum hosti occurrere opportunitas tutiùs præstaretur. Sed vt Pontifici suspicionem ingereret, relictis castris, quanta potuit celeritate Truentum se proficisci simulans, Asculanorum animos ad nouos motus sollicitauit, sed eo itinere quorundam perditissimorum hominum, qui in eius necem apud Contraguerram oppidum conspirauerant, sola Dei immortalis clementia vitauit insidias. Interim Robertum cum valido exercitu ad Pontificem iter facere nuntiatur; in cuius aduentum ex omni Regni parte tam subitò hostis exoritur, detegiturq́, coniuratis animi accrescunt, omnis locus frequentioribus latrocinijs infestior factus est, & si ancipiti loco res fortuna collocauerat, Alfonsus nullum vnquàm periculum tanti duxit, quin mortem seruituti anteponendam dubitaret, sed cum anima Regium decus, ac libertatem ipsam fortiter ponere, & in cœlum liberè proficisci animo constituerat. Intereà superuenit Albinus Virginij consilium aperiens, qui Kal. Ianuarij exercitum in agrum Sabinum confestim ducendum putaret, in eam scilicet partem, quæ Tyberi, & Aniene cincta Insula nuncupatur: Constituerat nanque ante hostis aduentum

Roma-

Romanum agrum depopulari, inde Roberto in Veientumangustijs occurrere, quod coniunctis copijs, cum Nicolao Ursino Florentinorum Duce, quem quatridui iter Pitiliano abesse audierat, facillimè fieri censebat, quæ credulitas errore magis, quam culpa nata rem omnem in discrimen adduxit. SOLET enim plerunque sapientum etiam animos ita irrepere, vt difficile sit præsciri quale futurum, quod in alterius arbitrio positum est: Sed Robertus, relictis copijs Fracasso filio apud Cesenam in via Flaminia, cum expeditis Romam ad Pontificem celeriter contendit. His cognitis Alfonsus nulla interiecta mora niuoso die signa mouens, superato vix Aterno, qui assiduis imbribus inflatus satis increuerat (nunquam etenim temporis iniquitas, ac intoleranda vis frigoris iter detinuit) in Marsis apud Fucinum sub Paterno oppido frequentioribus niuibus completo noctu castra posuit: manè prima luce Virginij militem prædabundum agrum Romanum peruagari nuntiatur, ingentem hominum prædam pecorumq; abegisse: pontem insuper, qui est in via Nomentana ad quartum ab vrbe lapidem noctu cæsis custodibus occupatum, quò magis properandum duxit: Relictis igitur copijs cum leui armatura per agrum Carseolanum in via Valeria, & Vicumuari, quod Vicouarum dicunt in Vestinis vbi Virginium comperit, Eretum in Sabinis, qui nunc Mons rotundus est, celeriter conuolat, & locis omnibus circumspe-

L cumspe-

cumspectis pontem primùm in Tyberim (quom nullis locis vada nudaret amnis) iunctis ratibus, scaphisq; fieri mandauit, vt Florentinis copijs transitus liberè pateret. Nicolaum literis etiam asperè conscriptis crebrisq; nuntijs acciuit, interdum grauiter succensens, quòd tam inerti mora bellum trahi videret, quòd eius aduentu vno prælio finiri firmissima ratione demonstrat: aggerem præterea in agro Veienti communiuit, loco peropportuno, ad prohibendum, aut opprimendum hostem, qui properato itinere instructum exercitum ductabat: tandem seu humana fraude, seu forte (cui, quæ accidunt sæpissimè tribuenda videntur) tandiu Nicolaus immoratus est, quoad Fracassum apud Castellum nouum paruo loci internallo sedere, per exploratores nuntiatur, cui quoniam Virginius nondum militem conflauerat, nec eum peditatus numerum, quo locis illis opus esset, haberet, occurendum paucis copijs minimè visum fuit: Fracassus itaque maturato itinere, citato agmine per agrum Veientem exercitum ducens ad mœnia vrbis castra locauit, cuius aduentu Roma lætior Deo Opt. Max. publicis supplicationibus gratias egit, quod adesset dies, quo Populus Romanus maximis angustijs calamitatibusq; liberaretur. Robertus vbi primùm omnium Cardinalium assensu, à Pontifice Sedis Apostolicæ Imperator appellatus est, militari ueste per vrbem albo equo inuehitur, indè longo itinere, & asperrima hyeme fati-

gata

gata corpora cibo firmarent per praconium militibus edixit. Alfonsus quom prater spem Florentinorum copiaquarum auxilium sibi paratum putaret, nusquam apparerent, ne hostis pontem sub eius oculis oppugnaret, locum mutare coactus est, exiguitas nanque copiarum recessum potius, quàm dimicationem suadebat: munito igitur firmissimis prasidijs Ereto, quibus Andream Iennarium prafecit, confirmatoq; duobus equitum turmis Nomento, cum regijs in Mirtetum oppidum in Sabinis delatus est, grauiter ferens, quòd parta iam uictoria Nicolai culpa segniter è manibus effluxerat. Inter ea Rex, qui nunquam fortuna sauitia succumbendum duxit, nec animo, aut consilio deficiens, subitarium conscribi iubet exercitum, cui Didacus Vela Hispanus uir bello egregius prafectus, Acerras iampridem à Baucio communitas uigesimo die, quàm oppugnari cœpta sunt ad deditionem compulit, quod maximè hostium animos effregit, quam vrbem si per ignauiam non amisissent, non tam repentè coniuratorum opes corruissent, Neapolis etenim paucis his diebus in tantas angustias est compulsa, quòd inopia penè conficeretur. Sed Deus à quo impiè ingrati supplicio plectuntur, quòd minus iustè bellum suscepissent, à tam improborum mentibus omne consilium amouit. Robertus corroborato exercitu Pontificis iussu pontem primùm oppugnare adorsus est; qui tenui prasidio munitus, quom muri aliquantulum tormentis esset

demolitus, quo die aggressus est expugnatur, cæsis tamen ad internecionem custodibus, quòd Fracassus in primo certamine in murum ante alios vadens tormento (quod arcumbusum dicunt) vtramque maxillam grauiter ictus esset, quod futuræ calamitatis præsagium Robertum vehementer exanimauit: inde victor exercitus suadente Baptista Cardinali Vrsino (qui paucis ante diebus clam ad Pontificem inclinauerat) Nomentum in via Sabina ad XV. ab vrbe lapidem circumsedit. PLERVNQVE etenim hominum naturam fortuna humanarum rerum domina corrumpit, qua ex re facile intelligi potest. NIHIL esse tam munitum, quod non violetur pecunia. Sed nimirum satis iniquum esse debet honoris splendorem, & decus propter periculorum magnitudinem prætermittere, in cuius æternitatem est eiusdem Albini carmen.

Nec sceleri nomen, nec te locus orbe sub imo
Excipit, ò proprii sanguinis excidium.

Sed quom res ad extremum adducta discrimen esset, Alfonsus omni auxilio destitutus, turbidissima tamen fortiter ferens, quid in tanta rerum, ac fortunæ commutatione, repentinoq; periculo agendum paucos ex suis consuluit, qui dum pari consensu post longas disceptationes, redeundum ad Regem rationibus instarent, solus consilio magis quàm ira, aut fallaci spe ductus minimè probauit, etenim omnis belli impetus in Regnum trahe-

retur

retur, Virginius spe destitutus, ad hostem inclinare cogeretur, quæ esset vltima Regni iactura, fœderati in mittendis auxilijs segniores efficerentur, frustraq; misissent si ab omni latere fuisset iter occlusum, quibus malis nõn esse cedendum ratus, quom nulli veri nũntij de aduentu exercitus Florentini subsequerentur, castra vbi essent statuit videre: Infracto itaque animo nemini consilium aperiens, cum Baptista, & paucis admodum ex suis, simulans se locorum situs exploraturum, Nicolao interdum grauiter irascens, quòd bello mora esset allata, quòdque diù exploratam, & penè partam victoriam retardaret, in Tyberim venit (non erat immorandi locus) Baptistam repentè in castra remisit nuntiaturum milites tam ancipiti periculo, munitis castris se tenerent, nec, absente se, cum hoste manus consererent: His dictis trans Tyberim delatus per agrum Veientem Nicolaum ad Baccanum (id loco est nomen) in agro Vaticano castra habentem celeriter conuenit, statuitque manè postridie Nomento auxilium ferre Robertoque congredi, & collatis signis belli fortunam experiri: Sed eadem nocte Nomentum expugnatum, ac direptum: Baptistam Romam proficiscentem multorum literis intellexit, facta tamen potestate Regijs militibus, qui Eretum tenebant, vt triduum agro Sabino excederent, & in Regnum tutò traijcerent. Alfonsus quom grauissimum sibi periculum immineret in

fidãntis

sidiantis fortunæ dolis minimè deterritus, pontem quem in Tyberi habebat (ne hosti sua occasio daretur) primùm resolui mandauit, inde Bracchianum in agrum Tarquiniensem delatus (id unicum effugium in tanta iactura propiùs erat) vnde per hostiles agros in tutum elabi non desperasset, quam rem vbi Virginius intellexit iacens ad pedes, Deum, inquit, immortalem testem facio Alfonse Dux, Baptistæ defectionem antehac me nunquam resciuisse, nec me tàm funesti consilij participem esse velis: verum, etsi incomparabili dolore commoueor, Vrsinorum familiæ æternam nefariæ turpitudinis notam inuri; Deum ipsum (quem nihil latere certum est) in testimonium adduco, atque utinam tam inexpiabile facinus priusquàm meas aures offendisset repentina quauis morte uita fuisset erepta, Sed quia eò deducta res est, habe Alfonse quæso bonum animum, cape tuo imperio hanc munitam arcem, et vnicum natum, quem habeo meæ fidei obsidem: Verùm id te oro, quod in te est, id te obtestor, ne abscedas Dux, ne me sæuissimo hosti ad meorum, meumq; sanguinem anhelanti prædam relinquas, quom tecum omnem fortunæ impetum animus sit subiturus, sed Alfonsus periculi magnitudine circumspecta, et grauissimos patris labores animo euoluens, eodem vultu paucis absoluit. De fide, & beneuolentia tua in nos, Virgini, nihil unquam per Deum veriti sumus, Sed temporis, hominumq; iniquitas satis admonere

nere

pere videtur, ne his oris diutiùs immoremur, etenim ab hoste intercludi, et omnem belli impetum in nos conuerti ratio deposcit, hostilis exercitus non procul abest, cingimur præterea Pontificijs urbibus valido præsidio munitis, priusquam nostrum iter intelligant, et insidiæ parentur abire permittas, quom intermissus dies, aut interposita nox multa sæpissimè perturbet: Ergo quia ita fors tulit (si salus nostra tibi animo est) da expeditos, ac fidos milites, qui nos in tutum locum sistant. Vides Virgini quantùm hostilis soli unam noctem agendum supersit: Tu res tuas pro temporum varietate curato, & quod miseris rebus minimè miserum sit, facies: fortasse mutabit fortuna vices. Illud omnino æquo animo pati non possumus, fortunam ex oculis incruentam victoriam (forte nescio qua) actutum è manibus esse ereptam, sed tamen res nostræ non adeò occisæ sunt, ut nobis sit penitus desperandum, Ludouicum etenim, & Florentinos vires omnes pro communi salute effundere nihil veremur, teque ab omni molestia fortuna suffragante, quamprimùm abducere speramus. Hæc dicens lacrymantem Virginium deseruit, & sub vesperam cœpto itinere syluam, quam Mancianam incolæ dicunt, sub Trivium Dianæ oppidum centum expeditis equitibus instructus una nocte superauit, bis tamen hostilis peditum manus in saltus faucibus vepribus interclusis est congressa, sed oppressis captisq; qui-

bufdam

busdam in primo impetu omnes vertuntur in fugam, vndique per conuicina oppida ad arma conclamatur, omnia luminibus collucent, omnia vario strepitu complentur, tormenta boant, equorum hinnitus exaudiuntur, sed fraudem noctis veriti, nemo extra munimenta audet efferre pedem, & quanquam omnis loci facies exitium, metumq; intentat, nunquam tamen eius animus timore depressus est, adductus itaque in medium discrimen, veritus obsessas vias, edixit, vt nemo ex acie exiret, sed ad euadendum per angustas semitas passim admonebat, etenim rebus omnibus diuina mente circumspectis, quom nulla nisi in armis, & audacia spes relinqueretur, cœptum iter prosequi magis, ac magis animo confirmatur, atque si forte vel fortunæ sæuitia incidisset, cadendum prius insigni letho, quàm viuum duci animo constituerat, affirmans nunquam honestam mortem esse fugiendam, verùm sapius oppetendam. Continuato igitur nocturno itinere per patentes Viterbiensium campos, accensis longo ordine facibus, virgarumq; fascibus in speciem magni agminis ad Martæ amnem audaci consilio, ac fortunato periculo delatus est, vbi ne ab hoste opprimeretur ancipiti cura tenebatur, nam quæuis hostilis manus ingruisset fatigatos viros, equosq; itineris longitudine ac præpropera celeritate facillimè obrueret: sed vbi illuxit, superato vix amne æquato ligonibus vado, quod accolæ clauserant, redactis in cuneum

equitibus

equitibus ob locorum fraudem suspectam, Pitilianum Nicolai oppidum in agro Senensi sese recepit, vbi longi itineris labore defessus biduum conquieuit: Inde in agrum Senensem per confragosum iter emergens, traiecto Palea amne opportunè mille, & quingentos aureos, qui ad Robertum deuehebantur intercipit, & relicta Clane palude à dextra in monte Policiano Florentinorum oppido in Hetruria Ludouici, Laurentijq; literis admonitus desedit, vbi primùm omnium immortali Deo, quòd tanto periculo esset ereptus publica vota patrio more persoluit: Post diem tertium literæ adhortatione plenæ ab Ludouico redduntur, & Petrus Caponus legatus optatissimus paucis interiectis horis ab Senatu Florentino superuenit, à quibus admonetur, ne Baptistæ defectionem molestè ferat, quom in rebus bellicis id sæpissimè contingat, ea demum auxilia parata esse sciat, quibus Pontificem urgeri, et Regi opitulari cognoscet: hac fœderatorum adhortatione maximè confirmatus est animus Duci, et frequentioribus nuntijs, et literis instat uti conscriptæ copiæ hyemali, niuosoq; tempore celeriùs properent, quorum auxilio suffultus de victoria non desperasset. Hoc rerum statu in Regno grauiores motus excitantur, hoste Regis fortunis audaciùs insultante. Castrumuelleris oppidum in Lucanis vrbis instar ad Hieronymum desciuit: Iensanum, & Spinaceola in Apulia ad Baucium inclinant: Alba, et Auezanum in Marsis ad

Fabritium Columnam, complura etiam loca, & castella ad Rugeronum, qui olim Ioannem Andagauensem ui Regno pulsum secutus in Galliam, audita conspiratione ad amissas opes ociùs commigrauerat. Addebat insuper terrorem Ruuerus, qui quatuor & decem militum turmis præfectus, reliquam Marsorum partem, equorumq; circumiecta oppida omni præsidio nudata præter Celanum occupauerat: quibus locis, quom iam nihil geri hyemis vis sineret, à Ghiuario edoctus noctu occupato ligneo ponte sub Tocco oppido, Aternum traijciens per Marrucinorum fines in Apuliam iter intendit, vnde ingentem pecudum numerum nullo obsistente magna cum Regis iactura auertere haud diffidebat, quibus abactis sola spe qua Rex emeritis militibus promissa persolueret eluderetur, atque ita copias, quæ tum in agro Campano erant repentè dissipari: eo igitur consilio Ruuerus per Marrucinos in Lanxanum flectens iter ad Histonium vrbem, cui Vastum nomen est, in litore maris Adriatici copias traduxit, vbi eò ventum, oppidum Montis Odorisij primùm diripuit, conuicina loca assiduis incursionibus hostiliter vexans: inde ingentis spe prædæ incitatus in Apuliam contendit, quibus difficultatibus Rex circumuentus, quom miserum Regnum conculcari videret, motus animi ratione cohibens quantum humano consilio effici potest, Ferdinandum Alfonsi filium Capuæ Principem (ea primùm maioribus

natu

natu Regum nepotibus dignitas obuenit) vigesimum iam agentem annum aduersus Ruuerum ac Fabritium Columnam (ita Virginio visum) exercitum ductantem in Marsos fidelitate firmissimum, cognito hostis consilio, omisso itinere in Apuliam conuerti iubet, imperatque sine intercapedine insequi, et nactus loci opportunitatem collatis signis prælium conserat. Sed Ruuerus, vbi aduentantem hostem continuato itinere intellexit, nondum perfecto, quo intenderat negocio, sarcinis omnibus impedimentisque in Serra Capreola relictis, noctu itinere facto, agmine incomposito intra mœnia Beneuenti sese recepit, atque ita certamen effugit.

Antonellus Salerni Princeps, qui nequicquam Ebolitanorum animos tentauerat, ne cassè tempus assumere videretur tribus militum turmis, & quingentis ex omni colluuione peditibus graui egestate depressis, qui indiem rapto viuebant Gifoni, arcem in Picentinis circumsedit, breui sperans se ea arce potiturum, aduersus quem Rex Cæsarem filium non ex iusta coniuge, et Alfonsum Daualum iuuenem bellicæ laudis auidum, cum tribus equitum turmis, & mille peditibus, quamocissimè misit, quos vbi Antonellus, nec satis firmus ad castra tuenda, in proximo esse intellexit, relictis castris, ac tormentis, intra Salerni mœnia raptim profugit. Hieronymus flamma, ferroque, & quacunque ui posset Brutios absumpsisset, ni Federicus furentis impetus,

conatusq́ cohibuisset, inito nanque prælio sub Montem altum, cæsis captisque quibusdam penè est uersus in fugam. Baucius aruspicum monitu (quos non negligentiùs obseruabat.) nullum sæuitiæ genus omittens inermem Apuliam barbarorum ritu prædæ studio assiduis incursionibus, non positis castris depopulatur, omnia cæde incendijsq́ deterrens, nulla denique modestia, nulla in hostem indulgentia ab huiuscemodi viris, disciplinæ militaris penitus ignaris habebatur, nec temerè id fieri: nam quom in tot Regni partes grauiores essent motus, Regem plurimis calamitatibus implicitum, minimè locis omnibus maximè diuersis auxilia suffecturum esse censebant, quapropter popularium animos vehementiùs immutari, & desperatione coactos, faciliùs ad Pontificem ituros, quod succederet, si maiorem diligentiam, ac moderationem rebus bellicis adhibuissent, itaque non modò in hostem, verùm in socios, & amicos sæpissimè hostiliter fuit sæuitum, nemini promissa fides est obseruata, quæ si nusquam gentium est, in castris sanctissimè culta ac fundata maximè viget: auidi quinetiam in pecunijs, locupletum dona multis adempta; quiuis Regium nomen efferret impiè mulctatur, aut fœda morte afficitur, nibil denique humani fœderis ruptores sibi defuturum arbitrati sunt, modò esset quod raperent: quam immanitatem, ac immoderatam in rebus omnibus licentiam populus animaduertens, maluit Regis fortunas sequi, quàm

perditis-

perditissimorum hominum libidinem, ac superbam dominationem perpeti. Ferdinandus quom nullo pacto continuato itinere Ruuerum assequeretur in Samnio exercitum collocat, sperans interdum ex leui pugna (ut fit) totis viribus in certamen uenire. Verùm hostis intra munita Beneuenti mœnia se continens, nunquam in patentes campos perlici potuit, ut acie dimicaretur. At Rex, cuius animum, nunquam secundæ res extulerunt, nec aduersæ comminuerunt, ubi nihil geri uidet, hostemq; sedulò declinantem certamen, ne sub vnum fortunæ ictum Regnum procumbere pateretur, iussit uti Ferdinandus copias in Sanseuerinum oppidum in Picentinis traduceret quod non longa obsidione teneri compertum habebat, qua sessione illud Regij animi specimen, ac uigor ostensus rebellium animos ita deterruit, perinde ac futuræ calamitatis omen portenderet. Ferdinandus iuuenis impauidus, animo, quo erat natus iussa peragens oppidum munito loco positum circumsedit, fossa et vallo circundans binos præterea aggeres, quibus arcem oppugnet, et obsessis, nequa subuehi auxilia, aut commeatus possent opportunis locis modico interuallo circumsedit, sed repente graui morbo implicitus diù uitæ dubius ægrotauit, pro cuius salute Alexander Carrafa Neapolitanus Antistes decreuit uti Diuæ Virginis castissimæ puellæ albam indutæ uestem longo ordine turibulis accenso ture per delubra immortali Deo carmen canerent, populus etiam frequens

susceptio

suscepto uoto sacris Diuorum aris dona tulit, & per eos dies iustitium edictum: Iudaei etiam continuis diebus more suo uota soluerunt, tanta animi mansuetudine, ac modestia exornatus enitebat. Marinus Brancatius uir magno consilio, & in primis ab Rege habitus, cui ea expugnatio demandata est, admotis tormentis oppido castra coniungens VI. et L. die postquam obsideri captum est, ad deditionem compulit. Constat sub idem fermè tempus Augustinum Fregusium Ligurem bellatorem optimum, laboranti oppido ex Beneuento auxilia ferentem, apud Silarem amnem in Lucanis ubi exit in mare, inito praelio cum Gulielmo Sanseuerino Caputacij Comite sagitta occubuisse, qua plaga hostium animi vehementer procubuerunt: Rex tamen innata mansuetudine, ac humanitate (qua omnes eius seculi claros principes longe anteiuit) admonere, hortarique non destitit rebelles, neu priùs sera spei, ac incertum belli exitum, velut aequum iudicem, quàm secessionis ueniam, ac spectatam, & iam diu cognitam clementiam expectare uelint: coniurationem etenim semper lenire magis quàm exasperare curauit, credens intestinis malis occurrere, & tempus ipsum improborum hominum interdum lenit urum iras. Sed efferati odio proditores illatas in Regem iniurias animo versantes, dum nullum esse veniae locum obstinatis animis contendunt, quodque nullo etiam linguae temperamento usi,

bellı

belli fortunam experiri maluerunt, quàm sub oblata sæpius certa salute conquiescere. Hæc dum uario euentu in Regno geruntur apparanturq́, Robertus nihilo segniùs Virginium minis deterrere, precibus interdum, ac pollicitationibus corrumpere non destitit, contractis sæpissimè copijs ex hybernis in agrum Nepesinum, tormentis cymbæ impositis, quæ Tyberi ueherentur, se instructum ad depugnandam arcem Bracchianam uenturum minitatur. Virginius, qui populorum suorum animos parum firmiores inspexerat (tempori parendum ratus) posteaquàm de Regia classe penitus desperasset Roberto consilium omne, & quid animo haberet clam aperuit) haud aliter belli uim, & rerum omnium angustiam ultra ferre poterat) affirmans se ad Pontificem iturum, modò sibi ab Sede Apostolica honesti belli conditiones non denegentur, neue in ducem Insubrium, & Florentinos socios, & amicos lesæ fidei monumentum posteris reliquisse dicatur (quæ æterna est mortalibus labes) ut æquum est, postulat absolui. Vbi id Pontifex ab Roberto intellexit, nec tempus ad deliberandum suscepit; sed extemplò conditionem accipiens XX. dies ad id peragendum libentissimè constituit, existimans ea Virginij defectione, in quem omnes vires conuerterat, Romam bello liberari, & Regnum de quo decertabatur faciliùs occupare. Virginio, quom tanta malorum impenderet tempestas, rem omnem per

Xanten

Xanten militum scribam sine mora Laurentio patefacere uisum fuit, cuius consilium, et auctoritatem præter necessitudinem, et affinitatem præsenti calamitati maturè consulere sperabat, apud quem Xantes in hunc modum uerba fecit. Ni superioribus diebus Virginius cum Roberto de conditione simulatæ pacis egisset Laurenti, aut in Pontificis arbitrium venisset, aut si daretur, abire coactus esset. Est Cære oppidum vetustissimum in Hetruria ad sextum è Brachiano lapidem, olim terrore Gallico Vestæ, cæterisq; Dijs gentium tutissimum diuersorium, ac Romanorum sacrorum receptaculum, in quod relictis domo, & fortunis hostis arbitrio si se ab Duce insubrium, & Florentinis destitutum intelliget, confugere curauit: Inde per agrum Cornetanum obliquis tramitibus traiecto Marte amne ferro, et audacia iter aperiens, superis benè iuuantibus ad Alfonsum contendere, etenim non modo sæuissimi hostis vi urgetur sub cuius impetum casurum affirmo, sed rerum omnium inopia, ac summa egestate laborare, nec posse diutiùs militem detineri, quom nulla stipendiorum spes appareat, nihilque præter sterile, ac nudum solum eius ager habeat; classem præterea Regiam in qua firmissima salutis, ac victoriæ spes reposita erat, quom nulla hyemis magnitudo maritimos cursus præcludat, è portu Neapolitano minimè soluisse; ab Antonio Maria Lanuuium in Latio (cui Lauinium nomem est) nuper oppugnatum

pugnatum

pugnatum audiuistis, populi, qui cum fortuna eunt omni præsidio destituti grauem belli molem diutius tolerare non posse susurrant. Vestrum igitur in tanto discrimine auxilium implorat, defendite per Deum, defendite amicum, si in agro Romano detinendum bellum, vel finiendum potius putatis. Si pro sociorum salute liberos, penates, & vitam periculis obiecit, vndique immanissimo hoste circumseptum videtis, cuius auxilium imploret, neminem habet, præter egregiam hanc Rempublicam, & Ludouicum, qui pro consuetudine magnanimis viris grauissimis in periculis, & laboribus semper opitulari consueuerunt. Quibus rebus cognitis Laurentius, & Ludouicus, ne sua ignauia Virginius occupetur, neue ipsi cum Rege corruant confestim firmissima præsidia decernunt, quod præsentis fortunæ uis exposcere videbatur. Conscriptis itaque militibus Ludouicus imperat, ut citato passu in Hetruriam Alfonsum conueniant. Ioannes Franciscus Sanseuerinus vir bello insignis quatuor equitum turmis præfectus Pitilianum primum aduentat, paucis post diebus Ioannes Iacobus Triuultius genere, & factis clarus XII. veteranorum, & vnam tyronum adiunxit, haud multis diebus intercedentibus Marsilius Torellus vir præstantissimus cum sex apparuit, inde quatuor Bononienses, quibus Ioannes Bentiuolus eius vrbis uir primarius Carolum Ingratum præfecerat, & demum duæ Fauentinæ,

quæ vti aureis vestibus, ac decoris armis conspicuæ, ita omnes im prælio acres, & ad vnum intentæ imperium. Florentini præter eas copias, quæ sub signis erant, nouos milites conscribunt, pecunias, et omnem belli apparatum haud cunctanter expediunt. Aucto itaque exercitu: quamuis Virginius instaret uti Alfonsus Bracchianum traijceret, ex ducum tamen, ac legatorum omnium sententia, mitescente hyeme. in Montorium collem castra collocare necessarium uisumfuit. Eò igitur ubi primùm ventum est, turrim ingentis magnitudinis omni telorum genere instructam oppugnare oportuit, haud aliter ab Senensibus commeatus, et rerum omnium copia affatim in castra subueherentur. Bruccius quidam transfuga grauiter excruciatus in uestibulo castrorum in crucem sublatus est, quòd nondum finito stipendiorum tempore ad hostem confugerat, sed eo consilio castris locum delegit: vti Robertus improuida temeritate propiùs instaret; atque ita Virginio copias Alfonsò iungere cupienti expeditum, ac liberum pateret iter. Locus est natura præceps abruptis montibus cinctus, ab tergo Senenses, & Florentini, qui commeatus in castra conueherent, hostilis ager frumenta, & equis pabula abundè præberet, ad Virginium quod tandiù decertatum fuerat sine maximo discrimine, Alfonsus traijcere non poterat, quom tantum hostilis soli spatium esset peragrandum; Robertus nanque milite non inferior, coacto ex Ponti-

ficijs

ficijs vrbibus, vicisq; ingenti peditum numero, præter eos qui tum stipendio merebant, relictis in tuto sarcinis faciliùs poterat patenti campo Alfonso occurrere, & dum acie excedere collibuisset, Pontificia loca, quò se tutiùs reciperet in proximo haberet. Ea etiam pars in quam importunè vocabatur, ab hoste inuicem, & Virginij milite vexata, rerum omnium inops facta, non poterat vnum diem copijs alimenta præbere, nec aliter quàm Alfonsus ratus est euenit: Confestim itaque Robertus per agrum Faliscum exercitum ducens, in Palatum collem arduo perangustoq; aditu molibus munito, quàmmaximè potuit, ad hostem concessit, ab Septemtrione Aquapendenti in via Cassia, ab Occidente Vnano oppido claudebatur: Riuus profluens æquatoribus vtriusque ducis aditum sine certamine præbebat, eò tandem loci ventum est, vnde neuter ducum posset euadere modò alter in aciem exiret. At Pontifex, qui nuper cum Roberto Regnum partitus fuerat, existimans coniuratorum viribus, & suis facilè Regem eijci, vbi hostis res tantis incrementis augescere vidit ad tuendum Sedis Apostolicæ patrimonium curas conuerterat. Sæpiùs animo euoluens tam celerem fortunæ commutationem, ab cuius inuidia felicitas omnis repentè obteritur. Diffisus igitur suorum præsidijs, ne quid inexpertum relinqueret, Iulianum Cardinalem Ligurem belli fomitem è portu Tyberino conscendi iubet, imperatáq; Renatum Lotho-

ringiæ Ducem è Gallia ocissimè aduocet, Regnum Neapolitanum iure suum, quod facilè his temporibus consequi queat, Sedis Apostolicæ nomine polliceatur, susceptum bellum, copias sub signis, & demùm coniuratorum vires commemoret, quod vbi intellexerit, oblatam occasionem minimè ducet negligendam: Sed tandiu Iulianus cunctatus est, quoad Pontifex desperatione coactus paululùm flexit animum ad pacem. Interiacebat utriusque ducis castra nuda campi planicies, cuius situm speculandi causa Alfonsus castris egressus, existimans erecto aggere hostem illic munimenta habiturum, repentè conclamatum est ad arma: venit Robertus in primam aciem cum leui armatura, et magna peditum manu, ab tergo Antonius Maria cum quatuor equitum turmis pari interuallo consequitur. Alfonsus cum prætorianis tantùm militibus in procliuiorem locum paululùm hosti cedere statuit (id salutare consilium visum fuit) donec sui in aciem exirent, etenim vtriusq; ducis copiæ viribus, & animis pares constabant. Robertus animo elatus, & linguæ intemperantia per tubicinem prælium denuntians, adiecit satis indecorè agi, tot annos munitis locis castra tenere, nec vsquam in certamen descendere, adesse itaque diem, quo uno prælio tantum bellum, diuturnumq; odium finiri putabat. Alfonsus lacessentis hostis verbis irritatus qui tam licenter id auderet, & Triuulcij persuasionibus

nibus impulsus, quamuis nox iam instaret, minimè differendum prælium ratus, data fide paratis animis & copijs dimicare pollicetur. Erat iam diei vesper, quom explicati ordines summa lætitia, clamoreque sublato in hostem erigebantur. Ioannem Franciscum in prima acie equitibus leuis armaturæ præfecit; Triuultius dextrum cornu, Torellus sinistram alam tuetur, ab tergo aliquantulùm inter se distantes subsidiarias Ducis Insubrium copias, statariosque milites: à latere, qui, & fronti ante signa imminerent optimum peditatum collocat, ipse cum prætoria militum turma, & triarijs, vt peropportunè vtrique parti ad omnes hostium conatus adesset, mediam aciem tenuit. Robertus ubi è speculis tanto ordine explicatum hostilem exercitum prospexit euadere credens, nec in aciem stetit, nec pugnam inire constituit, sed celeri passu in munimenta festinans in diem posterum per tubicinem se pugnaturum dixit: Alfonsus non segniori passu subsequens excitato ardore hærens hostis in tergo ita militum animos adhortatur. Non me præterit strenui milites, quæ bella olim sub Francisco Sfortia socero meo aduersus bellicosissimos hostes confeceritis, quos non magis illius ductu, auspicioque, quàm vestra virtute superastis, aut vertistis in fugam; vos summa cùm Imperatoris, tùm uestra gloria clarissimis bellis omnibus finem imposuistis, hostiles urbes partim ui expugnatas

pugnatas partim accepiſtis in fidem : nullis vnquam laboribus, periculiſue propoſitis veſtros animos ab incœpto fortuna deterruit, vos demum terrarum orbi ſub tanto Duce iugum impoſituros etiam hoſtis affirmat, hæc omnia dum conſidero, milites fortisſimi, magna me tenet ſpes victoriæ, en illa dies ; quæ ſuffragante fortuna, præter maxima beneficia immortalitatem vobis eſt paritura, quom præſertim veſtris animis ab ipſa natura ſit inſitum egregiè viuere, aut ſtrenuè mori. Reuocate ergo priſtinam uirtutem, ite ſecundis auibus in prælium, vt ea gloria, quæ olim tanto ſudore, & ſanguine quæſita eſt, in ſempiternum veſtri teſtimonium luceat, nec ulla vnquam obſcuretur obliuione. His dictis, milites armis animisq; inſignes in hoſtem non lento paſſu in collem feſtinantem celeriter eunt, Alfonſus omnia oculis inquirens, ratus iam adeſſe tempus Ioannem Franciſcum emittens, imperat vti inito prælio abeuntem patrem moretur, animus nanque futuram victoriam præſagiebat. Robertus quom euadendi in caſtra ſpatium non daretur, in acie ſtetit, & uario acclamore accito exercitu, ordines ſtruere, ac firmare nitebatur, atque vbi ſub ictum teli uentum eſt, dato ſigno vtrinque milites infeſtis animis concurrunt, ac incredibili virtute confligunt, et accenſa acri pugna complures aduerſo pectore acceptis vulneribus in primo congreſſu egregia morte concidunt. Alfonſus vbi id conſpicatus eſt, cum prætoria turma

tanto

tanto impetu transuersa hostium latera inuadit,vt non paruo loci spatio sint moti. Conferti pedites cominus ense pugnant, nec hasta cessant, quorum pars profundo vulnere prostrati equorum vngulis obteruntur, equites obductis gladijs atrocissimum Martem incendunt, crescit pugnæ ardor,augeturq; procurrentibus in prælium subsidijs ex vtroque iugo:vterque dux suos nomine exhortans precando castigandoq; reddebat acriores,à fronte simul, et à latere summa ui certatur, & dum neutrò pugna inclinatur fortissimorum virorum, quos ex acie Mars pignerari solet, complures cadunt, saucij equi graui armorum pondere vtrinque ad terram defluunt, Alfonso quom in media mole pugnæ versaretur, suosq; ante prima signa adhortaretur,equus grauiter ictus est, & sagitta à tergo per loricam adacta,leui vulnere diuerberat latus,sed nihil eo deterritus acrius bellum ciet: Summi equidem imperatoris, et strenui militis munere functus est, qua propter suis ardor, hostibus terror est iniectus. Triuultius, & Ioannes Franciscus sanè immortalem sibi gloriam peperere,cæsa nanque magna peditum manu,fortissimorum equitum globo acri Marte soli diu obstitere. Sed Robertus ea die nullus imperator visus est,nanque vbi suos trepidare animaduertit,nec quicquam imperio,consilioue agi, uersus Aquampendentem cum aliquot equitibus sensim cedendo inclinat, & data hostibus terga forent,ni nox certamini interuenisset

uenisset. Verum enimuerò Antonius Maria, Rufaltus; & Manfronus egregiè dimicantes nunquam animis concidisse uisi sunt, sed suos hortari, ordines obire, & prælium instaurare. Alfonsus suo Marte hosti imminens pro castris eius, fortuna intuente certamen; ingruentem noctem uehementer incusat (eo nanque die tantum bellum patratum foret ni nox accensum prælium diremisset) alij saucij, alij trepidi fœdè abiectis armis per confragosas vias, notosq; calles virgultis interclusos in saltus sese abdidere: qui castra tuebantur terrore iniecto de fuga sæpiùs agitauerunt, nec fuissent retenta si exiguum superfuisset diei. Antonius Maria Ioannem Franciscum fratrem in prælio nactus vti certamini finis imponeretur benignè exorat. Alfonsus cùm ad horam noctis pugna esset extensa, cæcoque Marte dimicaretur, nec vulnera satis certa (tres fermè horas atrociter decertatum erat) receptui signum dedit, & data fide tutos in castra redire permisit, captos uerò positis armis (vt mos est) vterque Imperator mane libertate donauit. Paucis post diebus Virginius, et Florentinorum Dux Bracchiano mouentes X X. militum turmas Alfonso adiunxere: atque ita aucto exercitu, quom neque hostis (qui munito loco se contineret) circumsederi posset, nec commeatus intercludi, ne in cassum tempus absumeretur, urbis fortunam, quæ belli est caput, tentandam putauit, consilio, si Robertus in apertos

tos campos descendisset Alfonsus obuius iret, quod vbi Robertus intellexit, cœpit illicò de pace agere. Sed uti in Pontificis suspicionem, odiumque magis, ac magis adduceretur de pacis conditionibus Albino medio diu agitatum est: Sed Pontifex vbi Robertum ad pacem præcipitem accepit, suisque satis diminutos animos, hostibus auctos (SOLET plerumque fortuna variare euentum) ancipiti cura exagitatus, penitus flexit mentem ad pacem. Extemplo itaque Alfonso consilium aperiens, vti Albinum suum, cui quod animo haberet crediдisset tutò ad se mitteret depoposcit. Alfonso tametsi Albinus Romam proficisceretur ad Pontificem, ne sub nomine pacis bellum lateret, circa ea loca diutius in spem irritam immorari non placuit. Munito igitur exercitu præparatisque VII. dierum cibarijs, per agrum Cornetanum supra Centumcellas, Tolfam, & Anguillariam flectens iter, aduectis tormentis apud Porcaricium (id loco est nomen) in agro Vaticanò ad quartum ab vrbe lapidem castris locum cepit, vbi triduum statiua habita sunt, ut quid Pontifex animi haberet facilius exploraret. Extemplo Ioannes Cardinalis Venetus ex vrbe in castra proficiscens Pontificis nomine impensius pacem orat, cuius conditiones Albinus Neapolim ad Regem tulerat. Interea Virginius ne Romanus ager ferro, aut flamma uastaretur effecit, donec bellum, aut pax ab Rege decerneretur, Alfonsus interim in Lipri-

gnanum oppidum exploratis itineribus agmen conuertit, existimans ea obsidione indubitanter ab hoste decernendi potestatem fieri. Sed ab oppidanis, Apostolicæ Sedis auxilio diffisis, ad victoris arbitrium sine certamine voluntaria est facta deditio. Robertus ex Palatocolle mouens per agrum Faliscum apud Veientes alto montis dorso exercitum vallo communiens, execrabilem fortunam incusat, quòd per deuios colles, ac imminentia iuga agmen ducere cogeretur, & longè spe omni elusus, ac milite inferior, quom Pontificis loca tueri non posset, nec æquis uiribus prælium inire, occulto Pontificis odio premente, fortunas suas in extremo sitas esse iudicauit, suspicans spe pacis nullo militibus ab Pontifice stipendio persoluto, breui exercitum, quem tanto studio iampridem ex uniuersa Italia comparauerat, dissipari. Desperatis itaque rebus Pontificem adiuit suppliciter orans militibus de Sede Apostolica optimè meritis promissa persoluat, paucis se diebus Deos omnes, qui vrbi præsident dimicaturum adiurans. At Pontifex expectans quid de pacis conditionibus Rex censuisset, tandiu pecuniarum spe Robertum in vrbe detinuit, quoad blandis uoluptatem illecebris, ac secordia corruptum animum imminuit, et eneruauit. Alfonsus munito oppido eiectis primarijs, Pontianum propè Tyberim donec pax firmaretur oppugnare adorsus est, præmissa sæpiùs leui armatura si hostis relicto iugo in patentem campum eli-

ei potuisset, qui dum longè imparem se fore cognosceret, castris se tenere consilium fuit. Circumsepti Soractis iugo montis positi, ne frustra tempus tereretur leuibus prælijs fatigantur. At Robertus vbi Pontificem propalam de pace agere certiùs intellexit, filio quem è Gallia acciuerat ut Cardinalis crearetur, spe omni incisa apertissimè uerba dari, copias in diem dissentionibus imminui, quòd nulla præmiorum spes ostenderetur maiore cura diuersus agitatur: Sed omnia sorte regi satis hinc inde deprehendi potest. Is qui paulò antè secundis rebus elatus parua militum manu Regem tam superbo Regno eijcere publicè interminatus est, qui maiorem Regni partem sibi, & natis adscripserat, militiæ tandem, suique propè immemor, abiectis belli consilijs præter ducum morem, & consuetudinem omne studium ad componendam pacem conuerterat: tantum quo senectam degeret stipendium deprecatus: Verùm malorum omnium causam in fortunæ temeritatem, Pontificemq; reijciens potissimùm, in quem fortunas, ac vitæ spem collocauerat, ad extremum se decipi, arma infeliciter capta, & nulla demum in re fidem sibi obseruari passim suspicabatur: hisdem castris Alfonsus compositam pacem ab Iouiano Pontano viro ea tempestate longè doctissimo, qui summa diligentia inter tot vtrinque deturbatores, Romæ cum Triuultio curauerat, intellexit, in qua nulla Roberto statuebatur conditio: Erat præter mo

dum Pontifici inuisus, quòd exacta hyeme, qua Virginium ad se iturum affirmauerat, eludi non animaduertisset, quodque ab intemperantibus militibus Bracciana licentia, ac flagitiosa libidine, cui semper indulserat, non modò in pecora, & alia id genus fuit sæuitum, verum etiam ingenuam puellam Viterbiensem forma notam, vulnerato marito noctu rapere ausi sunt, quare omni flagitiorum generi deditos Pontifex summo est odio prosecutus. Postero die ab pacis fœdere Nicolaus Ligur Pontifici coniunctus ad Alfonsum missus, nuntiat quid Pontifex agendum statuisset, quòd in rem vtriusque maximè foret, priusquàm Robertus desperatione ductus aliquod facinus moliretur. Inde in castra Pontificia profectus primum omnium Apostolicæ Sedis milites eduxit, Robertoque statim agro Romano excederet nomine Pontificis edixit. Alfonsus, cui ea cura demandata erat Robertum vnius diei iter statuit subsequi, summaque diligentia obseruare, ne in agrum Senensem irrumperet, et exules Senis immitteret, quod præcipuè animo agitauerat, ne uè per agrum Picenum copias coniuratis adiungeret, qui audita pace ingenti dolore perculsi, de instaurando bello uaria inierant consilia. Sed ut extinctum bellum penitus crederent, Ruuerus, qui tùm sub Serras oppidum in Lucanis ad Calorem amnem castra habebat, positis armis Pontificis iussu Romam commigrauit: nec propterea destiterunt,

quibus

quibus possent fomentis incendium fouere, et pacis fœdus omni arte dissoluere. Interea Rex compositis cum Pontifice rebus post exudatos labores Petrociam, Copulam, & Anellum Arcamonum familiamq́ eorum omnem in celebratione nuptiarum regiæ ex filia neptis, quam insolenter Copula nato iungi efflagitauerat in carcerem coniecit, quòd conspirationis auctores fuisse criminabantur: quam rem cupiens Rex in aperto esse, ne quis iniuria detentos esse suspicaretur, Petrocia primùm ad supplicium traditur, cumque diu torqueretur, non modò coniurationem ab initio sciuisse fassus est: uerùm cum Copula, et natis auctoribus sceleratissimis omnium, quos vnquam terra sustinuit incendium aluisse: de Francisco, et Ioanne Antonio quæstione acriter habita flammam ab se ortam, huiusque tam fœdissimi belli semen fuisse, Copula præsertim concitatore publicè fatentur, complures etiam ab se haud ambiguè sollicitatos, quos muneribus pollicitationibusq́ ab Rege auerterant: in quod crimen timore quodam, quem diu animo conceperant se prolapsos esse tueri nitebantur. Sed de vtroq́ supplicium est sumptum, neque enim tantum scelus inultum apud mortales diuina, et humana iura sanctissimè censuerunt. Franciscus itaque Caleni Comes vir nefarius, et inquieti animi in tabulam deuinctus manibus post tergum illigatis fœdissimè à bobus per vrbem in forum protrahitur, atque vbi ad acerrimum securis spectaculum

lum

lum ventum est, à carnifice recuruo cultro iugulatur, cuius corpus in quatuor partes abscissum, quandiù Regis voluntas tulit, trabibus pependit. Ioannes Antonius Policastri Comes corruptis moribus imbutus, & ad confingendum scelus ingeniosissimus, capite pœnas luit: huiuscemodi nanque uiri omni acerbissimo suppliciorum genere digni existimati sunt, atque ea pœna tanto, & tam detestando flagitio nullis ante seculis audito satis æqua tributa est. Legitimum Regem, & dominum, à quo maximis honoris ornamentis, & fortunæ opibus aucti patrio Regno, et vita spoliare moliti sunt: uterque ex vtroque parente humili, et obscuro loco natus: vterque amplissimis benificijs affectus, Francisco Calinum oppidum (cui Carinula nomen est) ad Massici montis radices: Ioanni Antonio Policastrum, et omnem oram maritimam in Velia, quæ vergit ad Palinurum, Rex condonauerat. Sed genus est id hominum ingratissimum qui non modò ex finibus humanæ naturæ exterminandi sunt, verùm etiam in morte cælo excludi, & sub Tartara acerbiores pœnas luere creditur. Hisdem etiam diebus Petrociæ, & Copulæ iudicio prædamnatis colla securi percussa. Hunc ergo vitæ exitum expectent, qui tam impio scelere polluuntur; Arcamonus cui anima relicta est in tenebris morte grauiorem vitam perpetuò egit. Ghiuarius apud Histonium, Tursius Vrbini audita pace, ingenti dolore perculsi, interiectis diebus obierunt

runt

runt. Dum hac in Regno geruntur Alfonsus vnis castris post Robertum per Pennas prope Iouem oppidum flectens in agrum Tudertinum, & Trifernatem in Fauentinum descendit, longi itineris spatium ea nocte emensus: quòd hosti congredi prima luce aperta acie statuerat, quod Iouianus cognito Pontificis animo, ex vrbe literis sapiùs admonuerat, Sed vbi Robertus festinantem Alfonsum intellexit. PLERVNQVE animus vera prasagit; veritus, ne instructus, paratusue ad dimicandum properasset primis tenebris paucis ex suis talem orationem exorsus est. Immortalem Deum testor, vosque viri fortissimi, qui mecum ab ineunte atate militastis in testimonium adduco, nullis unquàm me laboribus victum cessisse, vobis animi mei fortitudinem in maximis periculis cognitam satis arbitror, qua aduersus Ioannem Andagauensem, & Iacobum Picininum nostra tempestate clarissimum Imperatorem ad Troiam in Apulia vobiscum egerim, quom de Regno Neapolitano decertaretur, quos non modò armorum ui in fugam vertimus, verùm Italia finibus expulimus planè scitis. In Liguria Ducis Insubrium copias exigua manu cum Regijs militibus sub Russecto Campano aperto Marte profligauimus, qua in agro Ferrariensi aduersus Herculem Estensem, et Federicum Vrbinatem acta sint? uos minimè latere puto, & demum superiore anno in agro Brixiensi, quo animo aduersum totius

Italia

Italiæ vires obstiterim memoria tenetis. Me præterea gloriæ auidum, diuitiarum, quæ temporum sunt, contemptorem debetis meminisse. Etenim quæ ab fortuna data sunt vbique mecum vsi estis. Me quoque & ducem, & periculorum omnium habuistis socium, nec unquam mente concidisse, aut libidine ad uoluptatem corruptum animum prospexistis, fuimus plerunque hominum nequitia Italiæ terrori: Sed plura de hoc dicere me fortunæ temeritas dehortatur, in eum nanque locum deducta res est, vnde pulsis nobis, ne fugæ quidem portus patere videtur, idcirco fortunæ plus interdum, quàm virtuti tribuendum censeo, en hostilis exercitus citato passu festinat in meum exitium. Sed ita Deum uelle arbitror ut humanæ quandoque infirmitatis, quam aspirante fortuna facilè obliuiscimur sim memor. Omnia Dei immortalis iudicio facta videntur: omnia quàmrepente ex voluptate in luctum reciderunt, ò uolucrem fortunam, quæ nihil unquam sine inuidia miseris mortalibus est elargita: Paulò ante summo eius fauore arma in Regem tuli, nunc prouocor, & omni loco pulsus quò me recipiam non video: Vos ergo humanarum rerum conditionem, quæ fluxa, ac instabilis est, de repentè mutatam uidetis, de fuga itaque cuius nomen inuitus effero, sed fatalis necessitas cogit fateri, nobis est agitandum, nam per Deum si cum hostili tantùm exercitu, quanquam superior est, demicandum

foret

foret, vestra tamen virtute fretus obuiam irem, et belli fortunam intrepidè tentarem: Sed hinc Bononienses, Fauentinos hinc in nos coijsse satis exploratum habeo, quid igitur in tam subita rerum commutatione agendum uidebitur consulite, id nanque consilij libentius capiendum intelligo: una tamen hæc in tot malis salutis uia se nobis offert, ut actutum cum paucis admodum hinc abscedam, vobisque de me benemeritis gratiam refero: Sed quoniam secunda magis quàm aduersa plerunque sunt timenda consulite quæso rebus vestris, & sæuientis fortunæ rabiem, quæ secundis rebus calamitatem admiscere consueuit, constantia atque animi fortitudine, qua in cœlum vehimur vincite. Interrumpunt Roberti verba militum gemitus abortæque omnibus lachymæ, quas nec diu perpessus, cum Antonio Maria grauissimè afflictus per occultos tramites nocte tectus Rauennam delatus est, vbi à Venetis hyemare concessum.

Postero die quom primùm illuxit Roberti exercitum sine duce agris vagari nuntiatur, pars transitione, pars fuga dissipati per proximos vicos sunt, sed ab oppidanis spoliantur trucidanturq; complures. Ii quibus locorum regio nota erat abiectis armis diuersis itineribus per occultos tramites, quò tutius videbatur se recipiunt, atque ita florentes Roberti copiæ, quas iampridem ex tota Italia delegerat una hora dissoluuntur. Alfonsus audita ducis hostium fuga hisdem castris biduum statiua habuit,

copiarum partem in hyberna dimittens, prius tamen Sfortianis ob nauatam operam in concione magnificè collaudatis, quos etiam uiritim donis militaribus donauit, Ioannes Franciscus cum parte equitatus Mediolanum concessit, Nicolaus Florentinorum copias in agrum Pisanum adduxit. Bononienses in faucibus Boiorum collocantur. Virginium, Triuultium, et Torellum eo consilio in Regnum traijcere iussit, ut si coniurati pacis conditionibus non stetissent, regiumq; Imperium abnuerent aut aliquid interea moliti essent, ui cogi potuissent. quarto itaque die prima luce mouens per Rubiconem Pisaurum, et agrum Firmanum undecimis fermè castris ad Truentum amnem Regni limitem peruenit, ubi biduum quieti datum. Coniuratis audito Alfonsi aduentu, cum optimo equitatu haud dubius timor incesßit animos, extemplo itaque Venusiam conuenere, et dum trepidi uaria consilia agunt, sua quemque mens conscia timor perpetrati criminis, et demum futura supplicia deterrebant fugerent ne, an Regis clementiam serius experirentur incerti. Summa enim inuaserat tristitia rati appetere tempus, quo debitas pœnas luerent, quom ueniæ spes, aut fugæ salus nulla ostenderetur, desperati itaque communium miseriarum metu in sacellum Laquedoniæ oppidi conueniunt iterum firmandæ societatis causa, & ante Dei Opt. Max. simulacrum, post funestam execrationem obtestationemq; in se familiam, & stirpem (ut in sacris

huiusce-

huiuscemodi fieri consueuit) libato simul Christi corpore omnes iisdem animis se ultima passuros, priusquàm Regis, aut Alfonsi præsertim conspectum adeant ter adiurant, nam sub pace capitis iudicium latere prospiciebant. Eo itaquè rerum statu quisque vitæ diffidens, quom nihil vsquàm spei, aut auxilij esset quonam modo presenti periculo obuiam iretur ingenti trepidatione in prouinciam suam proficiscitur. Hæc omnia vbi Alfonsus intellexit confestim signa mouens traiecto Batino amne (quem accolæ Turdinum dicunt) & rapido Vomano sub monte Syluano copias æquo numero partitus est, partim ad Aternum amnem castra habere iussit. Ipse cum reliquo exercitu in Planellam oppidum traiecit Aquilam oppugnaturus ne quid post terga hostile remaneret. Aquilani vbi non procul ab mœnibus castra poni viderunt conterriti vrbem sine mora per legatos literasque cohortante Gallioffo, qui fuerat defectionis caput dedere pollicentur: Sub idem etiam tempus Lallus Camponiscus vir eius vrbis primarius alterius factionis, vbi salutis spes affulsit, clam Alfonsum admonet, ut cum copijs ad Aquilæ mœnia præsto sit, ostendens vrbem, populosque sub Regis Imperium fideliter, ac obedienter futuros Alfonsus neutrum negligendum esse ratus, gratissima primùm esse, quæ didicerat de optima Aquilanorum inclinatione ad Regem, Gallioffo humanissimè respondit, quibus præteritæ offensionis im-

punitatem libentisſimè Regem daturum aperiat, et ad cœpta maturanda illorum animos confirmet, quod eo conſilio celerius fieri uiſum fuit, ne prolatando acer, ac bellicoſus populus deſperatione coactus noctu eruptionem in ſtationes faceret, aut illa hyeme Aquilano bello implicitus coniuratis interea ad colligendas vires ſpatium daretur. MINIMO nanque ſæpius momento maxima temporum inclinationes fiunt. Nec intermiſit, quod Camponiſcus fideliter admonuerat; Torellum X. militum turmis præfectum, & peditatui, qui nuper vndiq; ad belli famam, et prada ſpem confluxerat è Carapella ſub Aquila mœnibus caſtra repentè metari iubet, in cuius aduentu ſuadente Camponiſco, qui animum erexerat populi audita grauisſima offenſionis impunitate eiectis qui Pontificis nomine vrbi praerant Regium Imperium ſubire, qua deditione in priſtinam Regis gratiam, et amorem redierunt, Gallioffus repentina pupulorum omnium inclinatione ad Lallum uita dubius euadere cupiens, mutata ueſte clam vrbe excesſit, ſed ad ſecundum lapidem à Camponiſcis occiditur. Compoſitis Aquilanorum rebus, Virginius, qui cum parte equitatus aduerſus Fabricium Columnam, & Rugeronum penetrauerat in Marſos Alfonſum literis edocet, vt relictis copijs, quanta maximè celeritate Celanum aduolet affirmans eius aduentu Marſorum res facillimè componi. Alfonſus nequid abſente ſe à

tergo

tergo moueretur tametsi infirma ualetudine laboraret non destitit iter arripere, atque vbi Celanum aduentat Fabricius nihil iter immoratus Albam, & quicquid in Marsis occupauerat, Alfonso suadente Virginio restituit, atque ita inter eos conuenit vt Hieronymus Tutauilla ex Gallia Transalpina oriundus Virginio coniunctus Lauinij oppidi olim ab eius patre empti ius omne Fabricio cederet ipsi aureorum XVI. millia statim ab rege numerentur. Rugeronus Alfonsi fidei se credens oppida bello capta illico restituit, Neapolim Regem adiuit, à quo iterum vt Regno cederet facillimè impetrauit. Compositis igitur rebus in Marsis partito exercitu, Torellus ad Aternum sub Marrucinis ad colligendas Roberti copias, quas in Regnum transire rumor erat aliquot dies absumpsit: ab Alfonso cum reliquis apud Ortonum biduum statiua habita, inde traiecto Pyferno amne sub Auello oppido ad Aufidum fluuium uentum est, vnde fœderatorum legati ad Baucium missi, qui affirment regia fide, seposita omni suspicione tutus in castra ueniat, quom Regis animum probè noscat, qui illatas iniurias ulcisci semper ab homine libero alienum esse iudicauit. Parcere etenim, et dignitati magis quàm iræ consulere (quod genero si principis est) semper consueuit. existimans præclarum in omni fortuna fieri benificio gratum, quare in maiorem gratiam, et amorem rediturum affirment, et quo quiuis pessimo animo fuerit maximè tutus sit. Mane in itinere prope

Lancianum

Lauellum nullo pacto Baucium in castra uenturum, sed aliud animo agitare ad Alfonsum perlatum est, quam rem vbi Lauellenses intellexere hominis pertinaciam accusantes datis obsidibus voluntariam fecere deditionem, quod oppidum vbi ducentorum peditum præsidio firmatum est ad Irundinem amnem triduum desedit, expectans quid Baucius moliretur: in quem locum ab Ioanne Caracciolo Melfiæ Duce properè ventum est, qui quamuis fuisset ab incunabulis odio in Regem imbutus, & hoc demum bello ambiguæ fidei grato tamen animo comiterque exceptus est, consilijs omnibus admissus, & quibusdam cohortibus præfectus, præteritas nanque offensiones, eo præsertim tempore, non modo non quærendas, verum sapientissimè dissimulandas esse arbitratus est. Cognito demum Baucij consilio Loisio Gentili negotium dat, ut Venusinis affixa cruce significet, ni confestim in Regiam redierint fidem extrema passuros, quo vulgato edicto oppidani vrbem præter arcem, quam Baucius præsidio communierat illico dedunt, qua in fidem redacta, Gentili, & Camillo Pandono, qui armatorum globo communitam arcem premerent edictum est. Sequenti die arcis obsidione diligenter inspecta, quæ ui tam repentè capi non poterat spes tamen deditionis inerat, ad Aquamuellam monens per tubicinem edixit, uti populi spectatæ toties Regiæ fidei se crederent, impunita nanque populis omnibus priora fore: nam cùm omni cul-

pa

pauacent, omni suppliciorum genere se solutos esse credant. Spinaceola, Annibalis Vigiliæ, et Gensanum, quæ in motu rerum defecerant, metu quo tenebantur liberatæ, à Baucio illicò desciuerunt, qua defectione uehementer deterritus fœderatorum instanter deposcit legatos, affirmans se repentè in castra iturum. Sed quoniam promissis non stetisset pacemque iniquo animo ferret iure poterat eius benificio excludi, & sociorum legati denegari: Tamen uti cæteri promptissimum ad ignoscendum Alfonsi animum inspicerent Triuultium, Baccium Vgolinum uirum facetissimum Florentinorum nomine, & Petrum, qui ab Pontifice ad reconciliandos Regi coniuratorum animos venerat censuit mittendos, atque ita Baucius data ab legatis omnibus fide, ex Montepelusio in castra proficiscens omni comitate proposita etiam bene uiuendi firmissima spe, in posterum ab Alfonso exceptus est. Antonellus nulla interiecta mora Dei hominumq; iniquitatem temerè accusans, inde in arces suas quasi amens confugit, grauiter, & iniquo animo ferens conspirationem tanto sacramento firmatam paruo temporis spatio dissolui, seque ex tàm leuibus fortunæ momentis ab infidelissimis socijs in res turbulentissimas dimissum, ac destitutum. Hieronymus uir minimi consilij, qui paucis ante diebus comparata naui Regno abire constituerat, ni coniux obstitisset, arces omnes, natos, & uitam ipsam Regis Imperio sine interca-

tercapedine daturum literis significat. Item etiam Aqueuiuus se facturum affirmat, quibus rebus cognitis Rex, cui præter insitam animo industriam fortuna semper arrisit, vti coniuratis non ad vlciscendas iniurias, sed ad obliuiscendas potius, ac ignoscendum promptum animum nudaret, quom nulla venia tanto errato danda iudicaretur Neapoli Fogiam in Apuliam conuolat ad quem Federicus vbi primùm intellexit confestim Tarento procurrit. Die insequenti Alfonsus cum Baucio, & sociorum legatis Regi obuiam occurrens apud Coronatam conuenit, & Regio more dextram deosculatus post varios sermones Rex Fogiam, ipse in castra rediuit. Mane frequentes Venusiam conuenere, cuius arcem Baucius timore pœnæ confectus Regi est elargitus, multaque ibi de salute Regni toto die in consilijs iactata sunt. Post eius diei diem apud Lauellum copias omnes maxima cum voluptate Rex recensuit, quibus etiam, quæ Sanseuerinum depugnauerant erant adiunctæ. Aqueuiuus vbi primùm in conspectum Regis est delatus iacens ad pedes demisso vultu delicti ueniam humiliter deprecatur, quam placatiore animo, ac diuina grauitate libentissimè Rex se concessurum respondit, fidemque maius inter mortales iusiurandum, ac firmissimum humanæ societatis vinculum, posthac nunquam falleret humanissime commonuit. His rebus opportunè compositis veritus Rex ne

Antonel-

Antonellus, & Hieronymus dum miles in hybernacula concesserit aduentum differant, & bellorum reliquiæ, quas penitus extingui curabat in Regno superfuissent, aduersus eos niuosa hyeme exercitum traijciendum edixit, vt in posterum, quàm longissimè prouideret, nulla etenim oblata opportunitas, quæ vel ad decus, vel ad animi tranquillitatem spectet (quom non diu eadem sit) negligenda videtur. Inde cum Baucio, & Aqueuiuo conciliatis Neapolim rediuit. Alfonsus ne in longum dilata res esset traiecto Bradano ad Basentum amnem sub Tricarico in agrum Lucanum transgressus est, ad quem Hieronymus, quom iam aduentum vltra differre non posset supplex venit, cumque ad pedes eius mutata veste, zonaque ad collum imposita procubuisset, arcium primùm, quas tenebat claues ponit. amentiam deinde suum animum ab Rege alienasse manantibus lacrymis fassus est, miserabiliter itaque petit fidem, & ueniam imploratam: docuit etiam Antonellum ab se satis admonitum, vt deposita perfidia ad Regis clementiam liberè confugeret, cuius iustam iram in misericordiam conuersam esse satis apparebat, ad quem repentè Alfonsus Carolum delegauit, qui fide data affirmaret rem omnem facilè pro arbitrio impetraturum modò Regem adeat, & (vt par est) culpæ veniam deprecetur, errorisque pœniteat, Sed quia hominis inconstantiam probè nouerat, motis castris

Salandra, & complura castella repentino aduentu in deditionem accepta sunt. Antonellus tot oppidorum defectione de fuga diffisus, quod in animo volutauerat, Brancatium quo cum tutius in castra ueniret omni cunctatione abiecta deposcit, eo duce tandem ad Alfonsum venit, à quo etsi comiter exceptus est, nunquam tamen animum induxit vt crederet Regem tot illatis offensionibus veniam concessurum, sed pertinaciter se Regno cessurum contendit, ab qua sententia, quom nullo pacto deijci posset ad dedendas Brancatio vrbium arces ire permissum est. Alfonsus cognita hominis temeritate, cui nequicquam fidei ob leuissimum ingenium censebat habendum. Hectorem Carrafam XII. equitum turmis præfecit, edixitq́, si in dandis arcibus paululum ob quamuis rem obstitisset obsidione clauderet, se cum reliquis in tempore adfuturum esse. Interea ingruente asperrima hyeme optimum ratus ad Bradanum in oram maritimam milites in hyber nacula dimisit: Græcos Illiriosque omnes leuis armaturæ, qui sub Baucio Apuliam latrocinijs, & cæde compleuerant, partim occidi, partim in triremes perpetuò contrudi mandauit: atque ita in sanandis vulneribus quæ prouinciæ erant infixa maxime diuque elaboratum est. Antonellus interim audendum esse in extre ma fortuna animo euoluens montanas arces passim dari iubet, maritimas ob Ligurum auxilia, quæ indiem

affutura

affutura credebat, quandiu posset ad nouos motus quos imo pectore tegebat retinendas trahebant curæ, sperans interim tempus consilia allaturum: hoc itaque animo apud Alentos populos eluso Brancatio per Acropolim, et agrum Pestanum noctu itinere facto traiecto Silere in agrum Picentinum descendens per oram maritimam in arcem Salerni confugit, ratus non tam repente hostilem exercitum (in tecta iam dimissum) adfuturum. Brancatius ubi se dolo captum sensit abeuntem Antonellum sequi instituit, Alfonsum primùm admonens, & vbi Salernum delatus est Regio nomine statim edixit, nequa in re posthac populi Antonello pareant, quom post pacis fœdus ad noua consilia animum intendat. Alfonsus vbi quod verebatur certius intellexit quartis castris eodem conuenit, Hector ab Alfonso admonitus incompositis ordinibus prastò adest. Sed Antonellus vbi præter spem circumseptam arcem militum corona despexit omni spe destitutus fortunæ cedendum ratus: postquam multa in Deum questus est: legatorum omnium fide implorata demissa barba, ac miserabili veste Sarnum duce Alberico Carrafa ad Regem venit, à quo etsi ad optimas conditiones inuitaretur, atque in pristinum amorem se rediturum sæpius adiuraret, uti remaneret nullo pacto Rex potuit persuadere: ad extremum data arce Regno excessit, atque ita tantum bellum omnium opinione diuturnum uno ferè anni spatio finitum

 est.

est. Vxori etiam paucis post diebus Urbinum ad patruum abire permissum est. Pacato itaque Regno, et sine dimicatione extincto bello, ab Rege præteritarum iniuriarum oblito, et flagitij memoriam abolere studente, Baucio, & consocijs rebus omnibus præter munitas arces (ut nequid virium ad noua consilia relinqueretur) utque metu teneret, quos fides non tenuisset, frui concessum est, Neapolique liberè ut viuerent, inque eius familiaritate, et amore sine molestia conquiescerent. Sed in percipiendis tot, tantisq; beneficijs nullum adhibuere modum, ut grati viderentur, extincta nanque omnium beneficiorum memoria iterum noua moliuntur, clam de fuga agitant, ut externa auxilia ad opprimendum Regnum pro tempore implorent. Sed miseri si sana mente rerum exitum perspexissent, quem dubijs maximisq; rebus, qui sibi consulunt animo perpendunt, aliò curas intendissent. Carolum id in primis molitum esse, atque alios concitasse fama exierat, quam machinationem ubi primùm Rex intellexit, non parua animi perturbatione commotus est, quòd impunitatem tanti criminis, quod libertatem, et ea quæ ad bene viuendum relicta nihili fecisse viderentur, primo tamen impetu, quamuis iustior ira impelleret censuit abstinendum, existimans posse interdum iniquissimorum hominum pertinaciam, ac desperatas cogitationes beneficijs vincere, Sed indies ad fugam accingi certior factus, satisq; eorum omnia explo

rata

rata consilia, statuit rem palam fieri. Accito igitur Carolo in arcem nouam, statim fuga conscios, seque in primis nominauit. Sed ut in aperto magis res esset Rogerius Coccius ciuis Consentinus, qui fuerat consilij particeps, nuper ex fuga retractus maximè rem exhausit, è Sicilia inquit expeditam nauiculam in portum Neapolitanum clam delatam, qua Carolus Antonelli filium noctu Romam aduceheret, cuius consilij Baucium, & Hieronymum auctores fuisse fatetur, identidemq; paucis post diebus suadente Ioanna Sanseuerina muliere audacissima comparata naui in litore Baiano eos facturos edocuit, quam rem etiam Paulus quidam omni scelerum genere insignis polluta religione Deo hominibusq; inuisus satis apertè detexit. Conuocati itaque omnes vti publicè dicerent iussi sunt. Hieronymus, Baucius, et Barnabas defixo in terram vultu trementibus labijs præterita culpæ indiem iudicium timentes, iterum conspiraße fassi sunt, et hortante Ioanne Caracciolo de fuga agitasse, vt dato tempore externos motus excitarent. Sed nimirum ILLATA offensio, et cæca plerunque cupiditas ad omne facinus hominum mentes agit: quos acerbissimo supplicio dignos iustior Regis ira in vincula tantum censuit condendos, ciuitates conseruata: crimen in conspirantes auctores versum: in seditiosos, ac belli concitatores etiam acerbè sæuitum est: vt vndè orta esset culpa, ibi pœna consisteret, atque ita omnis

futu-

futuri belli suspicio Regno est sublata, ut nihil rebellionis in posterum timeretur. Aqueuiuo ob egregiam uirtutem nihil ademptum, sed in demortui Senescalli locum suffectus est, quòd post primam conspirationem integerrimè vixerit. Troiano filio Caraccioli iuueni perhumano longè à paternis moribus abhorenti oppida, & loca præter Melfiæ arcem, et Atellas ab Rege restituuntur, atque in suis habitus est, qua clementia effecit, ut populorum animi ad spem futuræ felicitatis accenderentur, idque maximo argumento fuit, nullum belli vestigium futurum neminemq́; in posterum aduersaturum. Vanella Hieronymi uxor ex nobili familia Gaietana cum liberis in honore habita, quibus si prouecta ætate à paternis uitijs emersissent ademptam patri dignitatem, ac dominatum Rex libentissimè pollicetur. Sed mulier inconstans collecto gemmarum pondere, quas in abdito habebat, et accepta ab Rege pecunia, quæ ad maiores familiæ usus singulis mensibus numerabatur, primis tenebris domo egressa simulans se in Virginis sacellum proficisci, quod est sub Pausilypi montis radicibus in uia Puteolana ad secundum ferè lapidem expedita nauicula, quæ uenerat Astura cum filijs ad Pontificem delata est. Verùm Rex mulierculæ erratis ignoscens humanissimis literis, & nuntijs sæpissimè in Regnum reuocare curauit, sed frustra fuit, nam quom liberè statuisset uiuere, Romæ maluit, quam apud paternum auum reliquum uitæ honestius traducere.

IOANNIS ALBINI LVCANI DE BELLO GALLICO FERDINANDI II. ARAGONEI

LIBER SEXTVS.

CAROLVS Valesius VIII. Galliæ Rex potentissimus renouato fœdere cum Ferdinando Aragoneo Hispaniarum Rege, cui Perpinianum cum aliquot oppidis in radicibus Pyrenæi supra Cocum liberum redditum est, compositis etiam rebus cum Maximiliano Romanorum Rege, cuius filiam septimum annum natam connubio sibi iunctam propter ætatem dimiserat, ad occupandum Regnum Neapolitanum concitante Alexandro VI. Pont. Max. & Ludouico Sfortia animum applicuit. nec longinqua deterritus est militia, ratus bellum ingentis gloriæ futurum.

rum. Comparato igitur ex omnium gentium colluuie, maritimo, terrestrique exercitu (nam terra marique rem gerendam censebat) per saltus Apennini niuibus obrutos cum quadraginta millibus armatorum in sopitam Italiam & tantos motus minimè curantem haud vsquam impedita via traiecit, bellica arte dictitans in Turcas pro fide bellaturum. Alfonsus Aragoneus qui eo anno decedente patre Regnum acceperat, confestim Ferdinandum filium Calabriæ Ducem annum agentem quartum & vigesimum cum sexaginta equitum turmis, & optimo peditatu via Flaminia in agrum Fauentinum castra habere iussit, vt in omnes hostium conatus adesset, existimans Florentinorum præsidijs hosti facilius occursurum, & procul Regni finibus arcere sub idem ferme tempus ex Senatus Florentini sententia quadraginta triremium, & viginti nauium classem, cui Federicus præfectus erat, in portum Pisanum conuehi mandauit, vt omnem oram Ligurum hostiliter depopularetur, Gallicam classem ijsdem litoribus fabricandam deducendamque dato tempore obterreret, Italiæque fines tueretur, Ipse, nulla ut in re sibi defuisse videretur, cum reliquis copijs in Marsis considens maximis pollicitationibus minisque sæpissimè interpositis Fabritium, & Prosperum Columnam deterrens ab hoste studuit auertere. Sed dum omnem æstatem in spem irritam contriuisset, inde mouens (ita Pontifex

post

post varia ad Vicouarum colloquia censuerat) aduectis tormentis apud Anxur castra collocauit, eo consilio, uti, iunctis cum Virginio Ursino copijs, qui ad Paludes Pontinas castra faciebat, Neptunam Columnensium oppidum in Volscis non dubia spe depugnaret. Sed quoniam nuper occupatam Ostiam, nauesque indiem præsidia allaturas fama exierat, metu perculsus, aut quia ita Virginio visum fuerat, repentè omne consilium est immutatum. Intereà, siue ita sorte datum erat siue latentis odij causa, Lucenses et Florentinos, Petro Medice auctore, post redditas Pisas in libertatem defecisse nuntiatum est. qua iactura præter sexaginta aureorum millia apud numularios ad rei bellicæ vsum deperdita, Ferdinandus via Cassia mutilatum ducens exercitum ad Pontificem Max. qui dudum composita pace cum Alfonso, quem Regni diademate insignierat venire coactus est. Classis etiam post acceptam cladem apud Rapalum oppidum in Liguria, dissolutis nauibus in portum Neapolitanum se se recipit. Intercedentibus paucis deinde diebus, populus Romanus, quom audiret Gallum Florentiam ingressum, & Petrum Medicem exilio mulctatum, timens incursiones villarumque direptiones, Columnensium factione vrgente, Ferdinando, vrbe vt excederet, edixit, qui tam sæuientis fortunæ minas constanter ferens, via Latina in agrum Casinatem copias deportauit, ratus ijsdem angustijs hostem deten-

R turum

turum. At Carolus nihil cunctatus via militari nullo hoste obuio Romam conuolauit, vbi per eosdem dies maximam cum Pontifice iniit amicitiam, simulans ante actarum se rerum memoriam penitus oblitum, et in posterum ad optimam de se habendam opinionem (quantum in se fuit) confirmauit. Posthæc via Appia mira quadam animi auiditate Neapolim petens Velitris vnam noctem conquiescens ab Garcilasso Hispani Regis apud Pontificem oratore ne vltra progrederetur & bello abstineret animosè circumscribitur, si minus ruptam ab eo pacis fidem in plurimorum conuentu protestatur, cumque ab incœpto Rex minimè desisteret, tum sub eius oculis dilacerans pactionis libellos, ei bello Ferdinandum summis viribus nuntiat adfuturum. Conuenerat enim ante susceptum bellum vt Romæ apud Pontificem de Regno Neapolitano iure ageretur. Sed Gallus innata animi magnitudine fœderis iura præuertens, armis, à quibus sibi maius nomen oriretur, non legibus Imperium statuit augere. Alfonsus itaque omnium præsidio destitutus Neapolim rediens, quom in dies ex omni Regni parte populorum animos (qui semper, vt solent noua appetunt) nutantes perciperet, inopi iam ærario, quid consilij captet non videt. His igitur anxius curis veritus ne ab hoste intercluderetur, tanquam si ad portas esset cogitauit de discessu, à qua sententia, nunquam deiici potuit. Accito itaque ex agro Casinate filio, Regno se spo

liauit,

liauit, existimans cum Imperio se omnium inimicitias depositurum: nec distulit iter, accepta nanque ex tot Regum monumentis pretiosa suppellectile, relicto filio, & Ioanna nouerca Hispani Regis sorore clarissima quinque triremibus, quas legerat ex multis, in Siciliam transuectus est: atque in Selini oppido, quod in Lilibæo positum est: latitans diu se continuit: fortunam accusans, & sæpissimè mores suos, quibus omnium in se mortalium odium concitauerat, auxeratque, ea præsertim die, qua Regni diademate effulgens, quod populis, qui iusiurandum fidemque præstiterant, non modo nullæ immunitates datæ, sed imposito stipendio omnem beneuiuendi spem de se in posterum habendam penitus extinxit. Quapropter omnium, animi longe sunt immutati. Qua fuga ab omnibus damnata suis animus est imminutus, hostibus auctus, tum maximè cùm in litore Bibone à nemine ex tanta multitudine, quæ confluxerat conspici passus est. Ferdinandus inops vrgente hoste, (nam Virginius ex agro Campano diffugerat, Triuultius callidus cum Gallo composuerat res suas) amissa Capua Neapolim rediuit: in qua Iudæorum bonis primùm direptis, cùm de rebellione motus exorirentur, per eos præsertim, quos beneficiorum memoria in fide permansuros esse ducebat, in hunc modum aduocatis patricijs orationem habuit. Ex omnibus orbis terrarum vrbibus hæc sola est, ciues clarissimi, quæ nullis ante seculis

uiolata fide immortalitatis nomen, & gloriam sibi perpetuò vendicauit: Sed quoniam res præcipiti in loco sita est, nolo hostium impetum feratis, quibus obsistere perdifficile esse duco. Efficite quæso, obtestorq́, siquis de me benemeritus est, ut sex tantùm dies vrbe Gallus abstineat, quod facilius effici posse putamus, dum pro dignitate uestra, cui nunquam defuistis, immunitates, & alia id genus, exquiruntur: quam rem si condonabitis, in posterum minimè pœnitebit. Nolite per Deum, si quis ab auo aut à patre offensus est, culpam in me conuertere, sed intuemini ingenium meum, et me huic vrbi, in qua genitus sum semper (ut scitis) deditum: occurrat postremo animis uestris, ut quæ à maioribus accepistis, eadem fidei monumenta, decusq́ posteris relinquatis. Hæc dicenti obortis omnibus lachrymis annuere, at ubi ab eius oculis abiere, datæ fidei immemores statim hostem intra mœnia admiserunt. Tum Rex perspectis Neapolitanorum animis intra arcem nouam se continuit quæ septingentorum Heluetiorum præsidio munita, gaza passim direpta, existimans non tam breui ea hostes potituros, ab omnibus fere destitutus per auersam portam ad mare ferentem, cum Regina inter lamenta sæpissimè caden te Ænariam, solum in tam acerbissimo fortunæ vulnere perfugium petens, non sine hostium etiam lachrymis vrbem reliquit. Intereà certatim ex toto Regno ad victorem confluunt: rem sanè admirandam, & nullis

ante

ante auditam seculis: munitissimæ arces fidissimorum præsidio firmatæ, quæ nulla vi, aut operibus expugnabiles erant, extincto illo ad Casilinum Italico vigore, aut ignauiter se dedunt, aut sine custode deprehenduntur. Qua ex re satis intelligi potest Regnorum custodiam solum in populorum beneuolentia, & amore collocatam esse. Ex tanto demum Regno Ænaria, Liparis, & Sylla oppidum in mari infero: Tropea, & Amantea in Brutijs: Brundusium, & Gallipolis in Apulia constantissimè bellum pertulere. Arx noua & oui assiduis tormentorum ictibus quassatæ, quorum vsum ea sola gens probè nouit, paucis diebus, præter omnium opinionem ad deditionem sunt coactæ. Sed quom omnis victoria insolens sit, nec quid sortis series possit, ratione perpendeat, sæpissimè in calamitatem, & infelices exitus Ducum culpa præcipitatur. Etenim Gallus post partam victoriam: si Ferdinandum Regno restituisset, quod animo agitauerat, deinde verteret se in Pontificem, & Ducem Insubriæ, quod facillimè fieret, proculdubio vniuersam subegisset Italiam. SED plerunque mortalium hominum animi secunda fortuna elati, immortalis Dei, & suæ gloriæ immemores in deteriorem partem consilia applicare solent, vbi præsertim male consulentium cupiditas, depressa animi maiestate, (quod perniciosissimum est) locum habet: ab quibus Regum aures, qui gloriam quærunt, omnes autem id

velle

velle debent penitus abhorrere pernecessarium est. Ferdinandus quamuis ad dominatum in Gallia inuitaretur, modo Regium nomen ac titulum deponeret animo quo erat natus, hæreditarium se Regnum habiturum, aut acri certamine (ut par erat) casurum respondit. nec putet Gallus cum patre extinctum esse nomen Aragoneum, licet breui ex fortunæ sæuitia emersurum. paucis post deinde diebus ad capessendas uires Messanam Mamertinorum vrbem triremibus uectus est. Quem Siculi magno apparatu excipientes nulla in re defuere. Ludouicus qui in aduentu Gallorum, decedente Ioanne Galeatio nepote, non sine veneni suspicione Insubriæ Imperium inuaserat, rei euentum discrimenque animo euoluens, ac graue incendium ex igne, quo ipsa ardent exuscitaturum prospiciens. Nouariam in agro Taurino ab Duce Aureliensi occupatam, Ferdinandum Regno eiectum, & demum Italiæ impositum iugum passim suspirabat. MALEFICIORVM enim conscientia acutissimus est pœnitentiæ stimulus. Quamobrem ad noua consilia animum intendere cogebatur. Ex templo itaque Pontificem, & Venetos per literas, & legatos de pellendo ex Italia Gallum instantissimè sollicitat, ob cuius quæsitam victoriam nullo fine contentam amissuros auitam libertatem, et breui omnes in perniciem casuros, ni nascens malum citissimè opprimatur firmissima ratione demonstrat. Hispanus etiam

& Ro-

& Romanorum Rex eiusdem consilij participes rebus suis consulentes, audita præter opinionem tam repentina Neapolitanorum deditione, omni cunctatione abiecta, fœdus cum Italis ferijt uterque. Gallus natura immitis, etsi non tam insolenter uictoria usus esset, populorumq; animos ad amorem beneuolentiamq; augendam, non ad odium in se concitandum studuisset, serò Itali, subacto Regno ad nouas fœderis conditiones confugissent: quæ omnia celeri mente perlustrans satis offensus, de reditu in Gallias cogitauit, constat enim suos omnes præter alias iniurias ad pecunias conquirendas studia conuertisse: est enim auri gens auidissima. Quapropter eos, qui tantoperè eius aduentum concupiuerant, immutatos esse. Nec defuere, et ipse inprimis, qui propalam dicerent non posse diu his etiam artibus Regnum detineri. Veneti intereà & Insubriæ Dux indignum rati Gallum per mediam Italiam nullo obsistente vagari, in agro Parmensi ingentem sub signis celerius cogunt exercitum, quo Nouarenses, qui uoluntariam fecerant deditionem circumsederentur, et Gallo redeunti iter præcideretur, ut si quando fortuna data esset, collatis signis prælium consereret. Nec Ferdinandus Hispanus in tanto rerum motu defuit fœderatis, confestim quinquaginta paratis nauibus sexcentum leuis armaturæ equites bello in Mauros assuetos sub Consaluo Ferrando bellatore strenuo. & Lusitanorum tria peditum millia in Siciliam soluere iussit ut

quo

quo Ferdinandus Rex vocasset sine cunctatione adessent. Carolus tanti belli molem, & tam lubricæ fortunæ commutationem animo euoluens, ueritus ne bello implicitus in Italia detineretur, in Gallia interim motus excitarentur, eiectis itaque, contra ius gentium, Venetorum legatis duobus diebus manere extra Regni fines iussit, & suis quid consilij haberet, aperuit, deinde uehementi concione Neapolitanos cæterosque Regni regulos hortatus est, ut eodem animo, quo se dedissent, in fide permaneant, Deum more suo adiurans in annum se cum coniuge rediturum, ea animi sententia, ut omnes felicissimi esse uideantur. Gilibertum deinde Bauarensem uirum integerrimum Proregem creauit. Item reliquis Regni partibus opportuno præsidio firmatis cum uiginti militum millibus uia Latina ex mathematici cuiusdam sententia signa mouit, animo agitans Italiam perpetuo incendio flagraturam. Pontifex vbi eum Romam aduentantem intellexit, quamuis per legatos multa polliceretur, eius fidei minimè se credendum ratus, cum Cardinalium collegio vrbem egressus intra Vruetum munitissimum natura oppidum, donec in agrum Pisanum descenderet, se continuit, Inde Romam rediens omnes Apostolicæ Sedis pecunias ad militum stipendia conuertit. Per idem tempus sex triremes (primum Gallicæ ruentis fortunæ omen) præda onustæ ab Liguribus sunt oppressæ, & Ferdinandus

Hispanis

Hispanis ac Siculis militibus suffultus oppidanis mœnia tuentibus Rhegium vrbem in Locris felici Marte depugnauit: arx tormentis quassata inter colloquia cunctationemque petentium fidem per occisionem capta est. Hoc euentu paucis post diebus optimo peditatu in naues imposito apud Seminariam oppidum in Salentinis, inito prælio cum hoste Berardo cognomento Striarto genere Scoto Prorege cum Brutianis in insidias collocatis facto impetu, dum strenui militis, et ducis munere functus est, Siculis in fugam versis inter hostium tela, corruente equo in terram effusus est, sed ab suis, quorum quingenti sunt interfecti, egregiè defensus, oblato Cantherio ab Ioanne Campano amoris ac fidei documento, qui insigni letho immortale sibi peperit nomen, non sine maximo discrimine in tutum emersit. qui ex tanta clade euaserant diuersis itineribus semiermes ad triremes confugerunt. Per eosdem etiam dies Veneti parata classe in Apuliam traiecerunt, atque vbi in continentem sunt delati Monopolim vi expugnatum diripuere. Paruo deinde tempore interiecto Federicus ad Appulorum res iter intendens Cæsarem ad Brundusium conuenturus, ubi primum in terram egressus complures eius regionis vrbes in fidem Regis allexit. Ipse in diem audiens populum Neapolitanum acerbissimo odio in Gallum, omnia venalia habentem, ab optimatibus dissentire, nihil cunctandum ratus imposito in naues milite à

 portu

portu Messenio soluens æquatis uelis in conspectum Neapolis est delatus, tum qui præsidio relicti vrbem egressi apud Sebethum amnem prælium inituri in aciem stete-runt. At Rex diu quiescente populo præter spem datam elusum se existimans flexit iter in sinum Baianum Capuam petiturus, ne suis penitus spes præcisa videretur. Extemplo clam emissa cymba vt rediret, primoribus ad custodiam vrbis conuersis accepto signo repentino contumultu arreptis armis Aragoneum nomen passim per vrbem est proclamatum. Galli, qui extra munimenta hostem expectabant, desperatis rebus, armorum vi cæsis captisque compluribus, via Carbonaria in arcem nouam compelluntur nec propterea defuere, qui in tanto terrore plerosque seruauerint, rati fortunam alium exitum præbituram: tum patefactis repente portis profusa lætitia, & lachrymis in vrbem Regem admiserunt, tanquam supplicio, & suprema calamitate liberati. Cautum est enim à Gallis vndique auxilia contrahentibus, ni Rex aduentasset in Aragoneam factionem acerbè fuisse sæuitum. Quapropter minimè mirandum est, si ea die mulieres accensas ad pellendos Gallos arma cepisse visæ sunt: tanto nanque odio superbissimæ gentis mores ac conditiones longè ab Italis abhorrentes, non modo viri, sed fœminæ sunt prosecutæ: quo die data spe salutis, Capua, & complures Regni vrbes statim abiectis Gallicis Aragonea signa erexere.

Caietani

Caietani, quibus acerbè à Gallo imperatum est, idem molientes ante eius aduentum, quem propediem suspensi expectabant ab maritimis terrestribusue Heluetiorum copijs expugnati ad occidionem interiere: atque ita celeberrima vrbs, prostrata mulierum pudicitia ad victoris arbitrium diu est detenta. Eligius cognomento Marra Aliani Comes fugiens, è medio itinere deuocatus est; cumque in conspectu Regis tremens ante pedes procubuisset innata animi mansuetudine Rex, pone, inquit metum Comes, tui iuris es teque in libertatem reddo, hactenus, quia fortuna ita tulit, ad Gallum inclinasti, nunc repetentem auitum Regnum me vides, sequere quem velis. Ille admirans inuicti animi magnitudinem, clementiamque nunquam ab eius fide defecit. Ab Neapolitanis primùm summa fide sunt ad Regios usus, & stipendia militibus persoluenda affatim pecunia conquisita, polliciti que quæ ad bellum necessaria viderentur. quapropter institutum, vt ibi plebis esset consilium, & plebis Tribuni, ad quos omnis causa esset reiecta: & cum perniciosa fames instaret, repente frumentum est in Sicilia coemptum. Inde arx noua admotis tormentis cœpta expugnari. Pontifex & Ludouicus auxilia parant, Prosper & Fabricius Columna bello insignes, qui nuper sub Gallo meruerant, cum omnibus copijs celeriter Regem conueniunt eius imperium facturi. Item Aristanius Cantelmus Populei Comes vir impi-

ger & Troianus Caracciolus Melfiæ Dux ingentis animi iuuenis in Apuliam proficiscens, confestim audito Ferdinandi Regis aduentu, conuerso itinere, Neapolim cum copijs aduolauit: atque ita comparato exercitu Rex cœpit respirare. Carolus eadem, qua venerat, celeritate in Galliam rediens via consulari Pisas delatus est. Inde Ponte tremulo Ducis Insubriæ oppido rupta fide, diruto in agro Parmensi apud Sanctum Dionysium vicum hostiles copias sub Francisco Gonsaga Venetorum Duce optimo, paratis ad dimicandum animis in aciem comperit. Sed vbi Ligures in amicitiam non potuit allicere, quod enixè tentauerat, per media hostium tela ferro iter aperiendum, aut in acie egregia morte cadendum statuens, priusquam fugere, vires conferre decreuit. Heluetios itaque pectora impauida in prima fronte constituens, à tergo clam tormenta conuehi iussit, et vbi pugnæ signum datum esset, alijs loco motis (ita fuerant admoniti) magna Italorum cædes est edita: nec propterea Gonsaga deterritus acrius prælium ciet: nanque vbi ad hastatos deducta res est, & cominus res geritur, atrox feritur certamen intuente Marte passim vtrinque cadentibus, uterque Dux offerens se suos exhortando acuit animum nomine vtrinque summa vi pugnatur immobili acie, hos ingentis prædæ ac gloriæ spes, illos Regis præsentia irritabat in uulnus, hinc atque hinc humus cadaueribus obruta,

neutris

neutris ordine cedentibus non enim de Imperio, ſed de vita, et ſanguine decertabatur, nullum victis effugium, nulla ara, non Italico more poſitis armis vita reddi micatur, ſed armato, & inermi par ſupplicij genus, et eadem lethi uia. Gallus vbi ſtabiles hoſtium ordines inſpexit, veritus rei euentum leuis armaturæ equitibus in ſiniſtrum cornu ſarcinas obiecit, in quibus diripiendis exorta pugna ad euadendum iter aperuit. Ioannes Franciſcus Sanſeuerinus, qui Sfortianis militibus dextræ alæ præerat, ſi in latera hoſtium, ut imperatum erat irrupiſſet, proculdubio profligati ſuccubuiſſent. Intereà nimboſa nox certamen diremit: quo quatuor ferè hominum millia ſunt cæſa. Multi poſtea ex vulneribus vtrinque periere, atque ita ab vtraque parte pari clade diſceſſum eſt, ex Gallis capti complures inter quos . . . . . . Gallus quem in eandem noctem diurno labore fatigata militum corpora quieti daturum putabant, minimè equo deſiliens, Triuultio Duce, nullo dato ſigno mouens ad Tarum amnem aſsiduis imbribus auctum nocte tectus per confragoſos tramites delatus eſt. Inde Turinum in radicibus Apennini ſe contulit, vbi aliquot dies conquieſcens ſuorum labores & incertos rerum euentus diu ſecum in animo volutauit. Nouariam interim commeatus inopia laborans ſub eius oculis ad deditionem compellebatur, & Neapolitana arci Federico circumſedente, poſt extinctum Alfonſum

sonsum Daualum in expugnatione crucis continuis certaminibus, ignitis cuniculis tormentisque fatigatæ, & demum nulla omissa arte in penuria rerum omnium traditis obsidibus sexaginta dierum induciæ sunt datæ. Hæc omnia & fortunæ sæuitiem intuens de reddenda sub conditionibus Nouaria consilium capit, sperans se ad tuenda Regni loca facilius occursurum. Conuenit itaque in fidei obseruationem pignusque, vt ianuæ arcis custodia Herculi Estensi daretur. liceret (terrestri itinere denegato) conductis Ligurum nauibus in Regnum auxilia, et commeatus transmittere, atque ita Nouaria reddita est. Mox vbi summa diligentia naues in portu iussit conquiri Ludouici Astu à Venetis omnes comperit conductas. per idem etiam tempus ne quis sub Gallo stipendia faceret Pontificijs censuris est vetitum. Tum Rex elusum se cognoscens maiore ira in Ludouicum exarsit, Dei fidem adiurans breui acerbissimas pœnas daturum, nec propterea animo concidit aut aliquid remissius agere visus est. ID ENIM regium est æquo animo pati sæuientem fortunam, secunda moderatius vti. Extemplo laborantibus in arce Neapolitana bina hominum millia cum optimo commeatu septem nauibus aduehi mandauit, quæ apud insulas Pontianas Galserandi Richsensis Regiæ Ducis classis negligentia, aut metu non audentis impetum facere, quanquam superior esset, noctu exorto uento in tu-

tum

tum sunt regressæ. Interea Gilibertus & Antonellus Sanseuerinus, qui bello intestino in Galliam confugerat amissas opes repetens, facta abeundi potestate, nec poterant à viginti Venetis triremibus itinere prohiberi, rupto fœdere ex arce noua, ratibus ad id seruatis Salernum capessunt fugam, quod nuper defecerat fugatis Regijs copijs in agro Picentino sub Ioanne Thoma Carrafa belli Duce ignauo, qui non modo sibi verba à Gulielmo Sanseuerino dari non animaduertisset, verum longe superior in pugnam descendens peditatu, quem in prima fronte constituerat, ab eius equitibus consternato, prius quam uideret hostem, primus omnium in turpissimam uertitur fugam, qua septingentis peditibus cæsis propius periculo res stetit. Rebellante etenim Francisco Zurlo Montorij Comite ab Rege in primis habito, Berardinus Sanseuerinus Bisiniani Princeps, qui cum Antonello redierat è Gallia, traiecto Sarno flumine vt in aduentum nauium per Gallicam factionem in vrbe circumsessa motus excitarentur, facta spe proditionis ad Pausilypi radices castra collocauit. Quapropter ab altera factione maximè trepidatum. Sed Rex idem suspicatus armata præsidia intra vrbem detinuit, donec hostis, cùm nihil ex sententia succederet, Marano, & Pomiliano vicis direptis incensisque per asperrimos prope Laurum oppidum colles, relictis sarcinis, fugientium more, retro, vnde venerat, rediret. Arx noua, finito

inducia-

induciarum tempore dedit se se: & Neapolitanæ nobilitatis plerique in Siciliam ablegati. Hac vbi apud Lugdunum Carolo sunt nuntiata, de vlciscenda primum ab Ludouico illata iniuria, cuius impulsu Regnum Neapolitanum quæsitum, & demum eius artibus amissum querens. De Rege Hispano, qui contra ius fœderis bellum indixerat. De Venetis nulla iniuria lacessitis, aduocato consilio multis disseruit. Quæ omnia intentissima cura agenti, filium, quem vnicum habebat, decessisse, Romanorum Regem cum Hispano duplici affinitate coniunctum et demum maiorem Regni partem amissam nuntiatur; qua plaga vehementer afflictus ad vota Deo Opt. Max. persoluenda conuersus est. Ferdinandus, qui suapte natura obliuisci iniurias priusquam ulcisci semper duxit egregium, assiduis militum querelis vulgo frementium apud Sarnum fatigatus, quòd rebellionis auctor bellique eius Zurlus concitator pœnas nòn pependisset: Nuceriam per opportunum hostibus locum oppidanis prius vt se dederent admonitis diripiendam militibus concessit: in cuius arce Zurli filios cum matre deprehensos in carcerem coniecit. Antonellus, Gulielmus, & Berardinus ex eadem familia sub Giliberto coacto exercitu post leuia prælia in agro Hirpino Arianum eo consilio petunt, vt in Apuliam traijciant. Loisius Iesualdus Compsæ Comes ab Ferdinando carcere emissus ingratitudine beneficium compensans (quod inhumanis-

humanissimum est) sensus prius, quàm arma ponere curauit. Consaluus Ferrandus cum Iacobo comite in Brutijs post habitam Crotonem, fusis hostibus apud Miletum, & quibusdam vicis igne absumptis, Consentiam & maiorem eius regionis partem, quam nemini vnquam in bello fidem seruasse cautum est, vi in Regis potestatem redegit. Cæsar Aragoneus eo terrore Brundusium in fide tenens collatis signis sæpius hostem fugauit, & Apuliæ Proregem in prælio captum detinuit. Cantelmus in Pelignis, & Marrucinis re bene gesta plerasque vrbes, & loca regiæ ditionis fecit. Hæc dum ancipiti Marte in Regno geruntur, Alfonsus, cui ab fœderatis Regnum est interdictum duabus tertianis implicitus Messanæ decessit. Interim hostiles naues ad Argentarium montem appulsas allatum est, confestim Richsensi, vti solueret, & intrepidè pugnam capesseret mandatum est. sed tandiu in litore Baiano frustra tempus contriuit, quo ad quinque naues cum mille & septingentis Heluetijs portum Caietanum subierunt, deinde occupato de repente Gallucio, & Marsano oppidis in Sidicinis, inquieti Suessani Federicum trucidassent, ita conuenerat, modo illi in vrbis conspectum apparerent, quibus insidijs Dei benignitate detectis, capita factionum in carcere sunt detenta. Petram Molariam ab imo diruit, & singulæ mulieres quinque coronatis sub hasta venundatæ, alia militi præda est

T concef-

concessa. Cautum est etiam sedente Regia classe ad Minturnas tres hostilium nauium è portu soluisse non sine eiusdem Ducis ignominia, & dedecore. Hæc dum longè diuersis partibus geruntur, Ferdinando in præripiendis hostium consilijs solerter in Samnium mouere uisum fuit. pro comperto nanque habebat quosdam Beneuentanorum alterius factionis vrbem hosti per proditionem daturos: quæ fuisset non parua iactura. Incredibile est etenim quonam modo pleraque Regni vrbes Gallorum insolentiam immanitatemque tam pernicioso bello perpessæ Regis tam longo terrarum ambitu semoti, in quem Italia et Hispania conspirarunt obstinatis animis in fide permanserint, pro quo non modo direptionem & incendia substinuisse satis fuit, verùm etiam sub acerbissima morte extremum spiritum reddere maluerunt. Compositis Samnitum rebus, aduentante Gonsaga in agrum Campanum Rex in Apuliam mouit, vt hostem spe pecuniarum quas Aquilani quotannis pro ouium pascuis persoluunt, coacto exercitu in prælium alliceret, aut Virginium interim ad Sanctum Seuerum sedentem opprimeret: qui licet suorum cædes ad portas ederetur intra monumenta se continens nunquam in patentem prodijt campum: nec lacessenti hosti curauit occurrere. Cæsar & Prosper Columna, qui Tarentinos fatigauerant, confestim Regi se adiunxere, vt in Gonsaghæ aduentum aucto exercitu, collatis signis suprema belli fortuna

tuna tentaretur. Interea Gilibertus priusquam hostes coirent ad Sanctum Seuerum copias ductans vt ui abactas pecudes redimeret, compositis ordinibus Heluetiorum, trecentos incautius Fogiam petentium apud Montem Sanctum in agro Troiano sub Elcaro Duce intrepido priusquam in locum editum regrederentur trucidauit: qui ne metu cedere viderentur, suis animum addens spem fugæ sibi primùm ademit: securi nanque præciso equi crure pedes iniјt certamen, inuicta nanque acies si æquo dimicaretur loco, aut si cum pedite foret pugnatum: sed difficillimum sanè est peditum manum patenti campo grauis armaturæ vim perferre: nec propterea incruenta potitus est victoria. nam cùm obstinatis animis strenuè cedere priusquam fugere statuissent, quod facilius fieret, si paruissent, hostium complures cæsi grauiterque percussi sunt. Inde apud Coronatam in aciem educens in conspectu Regis ad quatuor millia castra posuit, nullam dimicandi moram facturus. Ferdinandus ratione bellum gerens, qui nondum Troia, & Luceria copias contraxerat, suorumq́ fraudem maximè veritus quorum animis alia inerat inclinatio, nec dum Gonsaga agmina iunxerat, Oratore Veneto protestante, prælio censuit abstinendum. Post eius diei diem coactis undique Aquilanorum Pelignensiumque cuiusq; generis gregibus, explicato exercitu sub Regis oculos tanquam voti compotes versus Garganum iter flexerunt. Tum

Rex elati hostis audaciam temeritatemque reprimendam ratus, emisſis expeditis imperat, vti in primos ordines impetum ferat, à tergo ſe cum ſtatario milite ſubſecuturum. Gilibertus vbi hoſtem ardenti animo in ſe ruentem animaduertit, relictis extremis gregibus citato agmine in munimenta ſe contulit. Mane vbi primùm illuxit, copias traducens Gulioniſium oppidum opulentisſimum ſtatuit oppugnare: ſed oppidanis egregie mœnia tuentibus, quater eiectus eſt, ad extremum reſtituto prælio labore ac vulneribus feſſi, ne diriperentur, tria aureorum millia paciſcuntur. Interea exorto per Heluetios tumultu, vt præda militem aleret, non ſeruata fide, cæſis primùm ad internecionem oppidanis ſpoliatum ac ſemirutum eſt, & finitimis nouus terror additus, verùm multorum ſanguine ea Gallis victoria ſtetit. Gonſaga, vt Neapolim liberum iter paret, omnem oram, quæ Baronia nuncupatur partim vi, partim deditione ſubegit, inde Regi ſe adiunxit. Conſaluus, depugnata arce Caſſani, audiens hoſtes apud Lainum oppidum in Lucanis indiem cogi, vt in Brutios, qui cum fortuna mutant fidem irrumperent, adeſſe gerendæ rei fortunam, aut diffidens, cum tyro eſſet hoſtium miles, noctu ex Caſtrouelleris ſilenti profectus agmine, quanta potuit celeritate, propinqua luce ſub eorum munimenta emerſit. Cùmque ad arma conclamaretur, cæſis, qui ad portarum ſtationes erant, ui erumpens ſomno ſtratos oppreſ-

oppresſit, ſtragemque fecit. Quo tumultu ducenti ſunt trucidati, inter quos Americus Gulielmi Sanſeuerini filius ſeminudus inter recentem pauorem tumultumque fugiens obtruncatur: qua nece audita pater ingenti dolore percitus expirauit. Sed quem vitæ exitum expectare debent, qui fidem (maius inter Deum hominesque iuſiurandum) violare ſunt aſſueti. Trecenti captiui armis exuti ex quibus decem nobiles Neapolim triremibus tranſmiſsi, cùm per ora populi tanta cum irriſione, & opprobrio ducerentur, in carcerem ſunt coniecti pauci per agros palantes ex ea cæde diffugere. Qua victoria complura oppida ſe dedidere. Quæ verò poſt eius aduentum defecerant ob inſida facinora, & perfidiam trucidatis oppidanis ab imo ſunt euerſa, atque ita alijs defectionis metum iniecit. Cantelmus in Pelignis cum Carolo Aragoneo iuuene ingentis ſpiritus ad portas Sulmonis primo concurſu, trucidato Carolo Sanframundo acerrimo equitum præfecto qui eo bello Cerretum occupauerat, hoſtes qui ingentibus animis pugnam capeſſerent, in prælio fudit, quorum numero centum cæſi, captiui quinquaginta, quapropter Neapoli tribus diebus Deo ſupplicationes datæ, & vt Regis res feliciter geratur edicto ſacro vrbana multitudo publicis votis alligatur. Iam verò appetebat, vt Gilibertus circa ea loca diutius immorari nequiret, quom iam in proximo, quod raperet non haberet: quare Samnitum Caudinorum

norum fines ingressus Circelum oppidum oppugnationis metu perterruit. Sed vbi obstinatos oppidanos vidit, obsidere parat. Rex ad Calorem amnem prope pontem Feniculi castris positis Guidum Vrbini Ducem cum copijs expectans Gonsagam, & Casarem promptissimos cum delectu leuis armatura emisit, hostium animos tentaturos, atque vbi citatis equis ferocius in castra procursum est; casis quibusdam, ereptisue aliquot impedimentis, nunquam in patentem prodijt campum. Inde Fragnetum oppidum sex fermè millium spatio ab hoste oppugnare adorsus est. Gilibertus relicta Circeli obsidione oppidanorum virtute defensi in angustis Marconi locis ea parte, qua tutior esset castra communiuit animo & viribus diffidens. Interim oppidani, quassatis mœnibus in hostis oculis ad deditionem inclinant quibus oblata uita spe bina aureorum millia Regi paciscuntur, eiecto Gallico prasidio. Mane ubi primum illuxit; Gilibertum directa acie auxilio adfuturum per exploratorem nuntiatur: ita enim noctu per arcana colloquia agenda rei ordinem inter se composuerant. quare non inconuenit Fragnetum à fracta fide deduci. Tum Rex non parua animi perturbatione motus, ubi uana oppidanorum comperit promissa, ac facinus perpatratum; omnium bona militum prada, euertendumque oppidum edixit. Extemplo supra collem cum robore equitum Gilibertus apparuit, Ferdinandus ne dum sui ad pra-

dam

dam conuersi opprimerentur, spe pretij factæ diripientium militum animos in hostem erexit, qui ubi Gonsagam in aciem exeuntem firma ui prospexit, uulgato per tubicinem edicto, qui caput hostis retulisset, eum se extemplo ferrandinum nummum habiturum. leui inito certamine in munimenta properauit, cuius oppidi exusto sacello ligneum Virginis simulacrum inuentum est ab igne minime corruptum, quod summa ueneratione ac diligenti custodia Neapolim transmissum est, & supplicatio in unum diem populo indicta. Postero die Rex innata animi bonitate ac ueniæ dante propensior, quanquam hoste superior per præconem edixit, si quis Regulus, nobilis plebeiusue, tyro aut ueteranus sub signis Gallicis hactenus meruisset, mereretue aut arma usquam contra se gesserit, tutò domum se data fide recipiat in maiorem gratiam beneuolentiamque futurum: nomen præterea proditionis labe purgatumque omnemque ueteris criminis memoriam sempiterna obliuione censeat delendam, nullamque expetendæ pœnæ causam locum habere, qui contra ierit, feceritue eum se pro hoste habiturum. Post hæc Gilibertus cùm eminenti loco metaretur castra, Rex propius inhærens, ut ad decernendum traheret, Casarborem oppidum in eius oculis oppugnat, euertitque. Ille uiribus diffidens, cumquè nullum aliud salutare consilium esset in promptu, ne hosti æquo se committeret loco, tertia noctis uigilia cedere statuit, &

per

per agrum Alifanum tacitum rapiens agmen ſub Laquedoniam oppidum emerſit. Mane vbi Rex vacua hoſtium caſtra conſpexit, eorum veſtigijs prope inſiſtens proficiſcentes per aſperrimos locorum ſuus inſtituit ſequi Sed ne quid hoſtile relinqueretur à tergo, Ieſualdum primo impetu oppugnat, proruitque ducentis oppidanorum trucidatis vbi magna compreſſi frumenti vis eſt inuenta, & biduum ſtatiua habita: Arx victoris arbitrio dedit ſe ſe. Hoſtis interim ſpe potiundæ Laquedoniæ, ne fuga ſuis adderet metum ac deſperationem, præmiſſo tubicine, oppidanos, vt biduo ſe dederent, ſi minus agrorum vaſtationem direptionemque & incendia paſſuros admonuit. Quæ omnia vbi Regi nuntiata ſunt confeſtim mille leuis armaturæ equitibus præmiſſis ſigna mouit, eo animo, ſi fortuna data eſſet prælium commiſſurus. Quapropter inde ad Hirundinem amnem direxit iter Venuſiam petiturus. Rex nunquam intermiſſo itinere Compſam & complura ignobiliora oppida, quia voluntariam fecerant deditionem accepit in fidem. His raptim actis in hoſtem eadem celeritate vertit iter, qui in agrum Atellanum dilapſus oppidanos ad eruptionem paratos, quòd eius impetum retardaſſet, comminationibus deterrens ad ſubitam compulit deditionem. Sed vbi intra mœnia acceptus eſt, oppidum, quod tueri nequibat miſerabiliter diripuit, vbi præda ingens militibus conceſſa eſt. Solebat enim, quom nulla pecunia-

rum

rum spes appareret vrbium præda exercitum alere, animosque popularium rebellium mendacio, ac falsis literis implere, effingens quamprimum Gallicam Classem adfuturam. His nanque artibus complures Regni vrbes diu in fide detinuit. qua expectatione bellum dilatum, et tot Regni oppida hostiliter spoliata, ac euersa sunt. Antonellus inopia coactus, & obæratus ad conquirendas pecunias Salernum se proripuit, & omne aurum argentumue tam ex priuatorum ædibus, quàm ex Diuorum templis ablatum est, quod fœdum consilium exitu rerum satis apparuit. nam non modo indigna patientium animi, sed cæterorum sunt maximè abalienati. Per idem fermè tempus Consalui ex Brutijs aduentus opportunè auditus est. qui cum quatricentis leuis armaturæ equitibus, peditum duobus millibus, et centum statarijs equitibus Regi se adiunxit. Aucto itaque exercitu, cum de intercludendo hoste in vnam sententiam concurrissent, Rex in omnem gerendæ rei occasionem intentus, ut nequa ex parte erumperet, spemque omnem commeatus intercluderet, tripartito pari numero exercitu fossa & aggere oppidum cinxit. Quamobrem quamplures transitionem fecerunt. Iisdem diebus Guidus Regi conuenturus traiecto Truento in Marrucinis cum Iulio Cæsare et Cantelmo copias coniunxit & in agrum Campanum tresdecim Pontificiæ turmæ apparuere, quibus additis mille peditibus in supplementum per agrum Hirpinum quan-

to maximo cursu poterant ad Regem contenderunt: quo plus terroris hosti obijcerent, quanquam per Picentinos in Lucaniam penetrare statuissent. Eo rerum statu hostis cùm indiem arceri se videret, nec ulla præsidij spes appareret aut quonam pacto victoris iudicium effugeret, egit de Pace.

IOANNIS

IOANNIS ALBINI LVCANI ORATIO HABITA QVO DIE ALFONSVS II. ARAGONEVS NEAPOLITANI REGNI DIADEMA SVSCEPIT.

NIHIL vnquam optatius Regno tuo à Deo immortali datum est, post relatum patrem inter diuos, Alfonse Regum sapientissime, quàm vt tuo diuino consilio sub tam felici Imperio regeretur, sub quo, non modò quæ ad bene viuendum necessaria sunt vberrimè fortuna elargitur, verùm etiam præstantissimi ingenij tui probitate ac sapientia, qua cæteros huius seculi principes longè exuperas, firmissima spes felicitatis affulget. Nam quom ab ineunte ætate ita sis affectus, vt quæ tibi honesta visa sunt toto sis animo com-

plexus,quæ contrà semper exterminanda duxeris,cui dubium esse potest te ab instituto tuo optimo nunquam discessurum? Illud præterea maximo argumento est, quom videam neminem, cui tua salus non sit chara, & tuæ Maiestati non sit obstrictus beneficiorum memoria sempiterna. Quam rem is præsertim dies quo Populi tui frequentissimo concursu,Deo, hominibusque plaudentibus, Iusiurandum,fidemque præstiterunt,latissimè patefecit. Vix namque in Imperium euectus,et bonis beneficia collocare,et calamitosis succurrere (quod optimi Principis munus est) minimè defatigaris:complures siquidem beneficio,cæteros omnes beneuolentiæ significatione tibi alligatos obnoxiosque effecisti: Quamobrem non modo Populi tui,verùm vniuersa Italia,quæ tuis armis toties defensa est,et Christiana religio,cui terrore Turcarum ruenti ac penè labanti intrepidè occurristi, in tam felici spectaculo tuæ successionis in Regnum magnam hauriunt oculis uoluptatem,hodierna die præsertim,qua sacro Diademate, et Regni sceptro hæreditario iure effulges, quod tuæ incredibili ac diuinæ uirtuti post tot exudatos labores omnium iudicio paruum præmium est. Sed quom innumerabilia sint tuarum rerum exempla, pauca ex multis attingere constitui. Tu uix agens quartumdecimum ætatis annum ruentibus gallis in tanta rerum mole in Brutios à patre missus es,et celeriter fugato hoste, redactis in ditionem oppidis quæ defecerant, pacatam prouinciam patrio Imperio

rio reddidisti, qua expeditione iter ad immortalem gloriam, ac nominis Aragonei perpetuum decus aperuisti, cuius originis splendorem ab Athenario Gothorum Rege quom alio loco diffusius à me celebretur silentio praterire consilium fuit. Progredientibus deinde temporibus ductanti tibi copias per agrum Picenum, non sine maximo capitis tui discrimine, quom passim cruento marte hostis occurreret, tu ferro iter aperiens Ariminum dura obsidione leuasti, et Paulum Pont. Max. patri tuo insidias molientem; ne unquam Italia Respublicas appeteret, armis cohibuisti. Hidruntem praterea vrbem maritimam ab Mahometo Turcarum Rege immanissimo repentino adortu occupatam quanto sudore ac tuorum clade depugnaueris Mesapia testis erit cuius campi, et Adriatici sinus ora perpetuò sanguine inundabunt, deflebitque effusis crinibus tot clarissimorum ducum obitum Asia et Europa, qua quoniam ab eius ceruice grauissimum seruitutis iugum repulisti, tua Maiestati qua publicam defenderit libertatem perpetuò deberi fatetur. Nec tacebitur à me unquam Serenissime Rex tot Regulorum nuper in caput tuum conspiratio, qua licèt tibi calamitatem exitiumque portenderet tui tamen inuicti animi fortitudo satis enituit, nam quom in summum discrimen deducta res esset in agro Sabino ubi castra habebas, quid in tam subita fortuna commutatione agendum foret paucos admodum ex tuis consuluisti, qui quom in Regnum firmissimis rationibus redeundum

dum instarent, ne ab hostili exercitu, qui Nomentum oppugnabat includerere, tu solus omnia diuina mente per lustrans ratione magis quàm fallaci spe, aut ira cohibens animi motus, ab oppido Ereto in Hetruriam ad amicos penetrare maluisti, ut patrem graui bello liberares et apertis inimicis, insidiosisque amicis facilius obstares, tandem traiecto Tyberi per agrum Tarquiniensem, & apertos Viterbiensium campos quom ex omni loco ad arma conclamaretur noctu accensis longo ordine lignorum fascibus in speciem agminis ad Martam amnem audaci con silio, ac fortunato periculo delatus es, vbi ne ab hoste opprimerere redactis in cuneum centum expeditis equitibus, quos abeunti tibi Virginius dederat aquato ligonibus fluminis uado quod accolæ clauserant infracto animo Pi tilianum contendisti. Quibus ex rebus satis apparet ut in laboribus et in periculis obeundis te alterum Alexandrum appellant. Nam et præter animi magnitudinem disciplina militaris à te semper sanctissimè culta est, amicis, atque inimicis omnibus (quod splendidissimi animi esse puto) constanter promissa seruasti. Quid de Iustitia cuius acerrimus cultor semper extitisti loquar? tu neminem iniuria affici, neminem ab improbis opprimi passus es: quapropter Deus tua consilia diriget, fortunasque firmabit & tibi homines tanquam numini è cœlo misso blandientes velut aureum Iunonis partum adorabunt. Tua igitur singularis virtus santissimique mores

qui

qui certatim mihi se offerunt longissimam exposcunt orationem, quapropter silentio præterire, et in aliud tempus differre satius esse duxi Nam quom patrem auumque tuum clarissimos pace, et bello, terra marique omnium mortalium iudicio longè exuperas, quomque per ora virum volites, personetque passim vox illa patris auique tui longè tibi nomina cedunt aliorum ingenijs tuæ Maiestatis immortales laudes celebrandas linquere constitui, quamquam nulla eloquentia eius gloriam adæquare potest. Age quæso obtestorque magnanime Rex vt ea gloria, quæ tanto sudore et sanguine quæsita est in tuæ Maiestatis testimonium perpetuò luceat, nec ulla obscurere obliuione, et pacato Regno ut in exornanda cingendaque muro tua Parthenope, quam ex lateritia marmoream fecisti sapienter inuigilas, ita etiam effulgeat viris doctis, qui res tuas bellicas in heroum numero collocent, vt posteri admirandas uictorias tuas legentes obstupescant. Themistocles uir prudentissimus quom interrogaretur cuius uocem libentius audire uellet, sapienter, eius, inquit à quo sua virtus optimè prædicaretur. Idem etiam optimusquisque, qui laudis studio, et gloria ducitur summopere concupiuit, nec minus ingenuè Marcus Cicero omnia voluit iacere in tenebris ni literarum lumen accenderet. Effice igitur gloriosissime Rex vt in Regno tuo ingenia efflorescant (surgunt complura) & ne Augusti temporibus tua cedant secula, cuius liberalitati nec

te

te cesſiſſe contenderim. Pietatem verò in tuos, ſantiſ-mam religionem in Deum quibus hominum animi maximè conciliantur, & firmisſima ſunt regnorum fundamenta nolo pedeſtri oratione percurrere. Reliquum eſt igitur felicisſime Rex ut hodiernam diem qua ſede Apoſtolica annuente, imperante Alexandro VI. Pont. Max. Ioannes Montis regalis Cardinalis illuſtris te ſacro regni diademate inſigniuit (quod felix, fauſtumque ſit) edicto iuſtitio quotannis populi tui pari conſenſu omni cæremoniarum genere velut in præſentia proſequantur.

VRBS læta & Regnum celebrant ſolemnia pasſim
Noxia quin etiam ſydera nulla micant,
Quom tu ſceptra capis Regum et Diadema ſuperbum
Debita virtuti præmia parua tuæ
Iura dabis Partho, firmet Deus omina, Iani
Limina clauſa ætas aurea pulſa redit
Præterea affulſit miſeris ſpes certa ſalutis
Viue ergo ò domitor Martis, & orbis amor.

ARMA tenens Mars es, poſitis crinitus Apollo
Rex Regum princeps, gloria & orbis amor
Gallorum rabiem contundes ſydera ſpondent
Esſe ſub Imperio Gallica ſigna tuo
Fortunata ætas, & fortunata redibunt
Secula, te nullum principe crimen erit.

FINIS.

A' LETTORI OTTAVIO ALBINO.

HAVENDO io posto in luce l'Historia di Gioanni Albino mio Zio maggiore delli fatti de' Rè de Aragona che dominorno questo Regno di Napoli, hò voluto ancora farui imprimere alcune instruttioni, patenti, & lettere dell'istessi Rè, che hò ritrouate tra le sue scritture, parendomi che da alcune di esse si possa in gran parte raccogliere quel che si trattaua nel secondo, e terzo Libro di questa Historia della guerra di Ferrara, e della Lega tra detti Rè con tutti gl'altri Principi d'Italia contro à Venetiani, che per l'ingiurie di tempi si son perduti, & insieme si vedeno le molte occupationi che sempre hebbe l'auttore intorno al seruitio di detti Rè, perilche si possa giudicare che nõ fu poco hauersi rubbato alquãto di tempo per trattare questa Historia, se ben per via di Compendio, e di Comentarii più che per via d'Historia spiegata con tutte quelle parti necessarie che ve si ricercauano. Ben si hà da credere ch'egli pensasse che qualche dì non gl'harrebbe da mancar tempo di potere aggrandirla a bell'agio prima che lui medesmo l'hauesse mandata in luce, ilche nõ le fù in modo alcuno permesso per gl'infiniti trauagli ch'esso ancora patì nelle turbolentie, e reuolutioni che seguirno di questo Regno, nellequali egli ancora fù perseguitato, & spogliato di quanto teneua per Carlo VIII. di Francia nell'inuasione del Regno, trattandolo come notorio inimico della Corona di Francia. E se ben pare che essendono in lingua volgare vadino impropriamente con questa Historia che è scritta in lingua Latina, tuttauia me persuado che

da tutti saranno accettate, & lette con non manco desiderio & gusto che l'istessa Historia, per chiarirsi da esse molte cose che nell'Historia son toccate con breuità. Ne hò voluto accommodarle intorno all'ortografia ne mutarci parola alcuna, ma l'hò lasciate & fatto imprimere à ponto del modo come stanno scritte nell'originali,& nello istesso stile e modo di parlare che correua à quel tempo, perche habbiano tanto maggior fede appresso de'Lettori, & siano in più riuerenza per la loro antichità.

DEL S. ANGELO DI COSTANZO
IN LODE DELL' AVTORE.

SE'L grand'Alfonso qual Cesar non hebbe
Stil da notare i suoi famosi gesti,
Non è però che la sua fama resti
Senza l'eterno honor ch'à lui si debbe;
Che tu cui trauagliar mai non increbbe
Per monti, & piani, & per seruirlo festi
Tanti uiaggi; poi si ben scriuesti
Di lui, che à doppio la sua gloria crebbe.
Felice ALBINO à cui diedero i fati
Con la persona far notabili opre,
E con l'ingegno libri alti e lodati:
Qui'l nome tuo molt'altra adombra & copre,
Ma lo spirito in ciel tra i più beati
In lodar Dio conuien ch'ogn'hor s'adopre.

TAVOLA DI QVELLI
che son nominati in queste Lettere.

a 2 *Armà-*

Conte

D

Duca

Fran-

Gili-

Mar-

Correttione delli errori occorsi nella Stampa, il 1. numero dimostra la carta, el 2. la riga.

261	13	Aprielis	Aprelis
203	17	Pontificis	Pontificiis
216	6	primogenitó nostro	primogeniti nostri
221	23	Gapitanio	Capitanio
223	10	iuasse	iouasse
233	6	Ailano.	Milano
236	6	pro	peró
240	4	traditá	tarditá
278	20	in Lodi	in quello di
282	1	ma	mai io
287	19	parlata	parlato
294	3	par	ó souerchia
301	14	essendome	essendomo
343	14	discrittione	descretione
345	10	conscientia	con scientia
373	16	tirrará	tirará
441	401		
442	402		
443	403	Er in questa medesima carta nella prima letterá che dice 7. Octobris 1487. Legasi 1492. & nella seguente lettera che dice die 11. mensis Iunii 1487. legi 1493.	
444	404		
445	405		
446	406		

Nella Tauola delli nomi.

Bartolomeo della Anguillara	de l'Anguillara
Despoto del campo	
Franci di Pace	di Pau
Giorini Todisco	Gioanni
Gianotto de Asti	

Vniuersis, & singulis ad quos hæ perferentur literæ Salut.

NOS Decenuiri baliæ ciuitatis Florentiæ Tenore presentium damus, & concedimus plenissimam licentiam, et securitatem & liberum saluum conductum ALBINO familiari, & homini Illustriss. Ducis Calabriæ & duobus socijs, seu comitibus eius. eundi ad vrbem Ferrariæ, atque inde redeundi, & propterea transeundi per quelibet loca Iurisdictionis communis Florentiæ, tàm illuc ducentia quàm inde reducentia. Ibique standi & commorandi, & inde discedendi & redeundi semel, & pluries liberè & secùre, et sine ulla molestia vel impedimento in persona, vel bonis. Non obstantibus bellis motis vel mouendis. Duraturum per totum mensem Aprielis proximè futurum. Mandantes omnibus, & singulis commissarijs, Rectoribus officialibus, gentibus armigeris Stipendiarijs, et subditis communis Florentie. quatenus hoc nostrum præsens saluumconductum inuiolabiliter obseruetis, & tueamini. Dat. Florentiæ Die XXIIII. Februarij. MCCCCLXXVIII.

Locus Sigilli.

HERCVLES Dux Ferrariæ Mutinæ et Regij Marchio Esten. Comesque Rodigij &c. Sereniss. Ligæ locumtenens, & Capitaneus generalis. Tenore presentium saluum reddimus, & securum Albinum harum latorem cum vno socio, & duobus equis, ac vno famulo pedestri ab omni molestia, & impedimento reali vel personali pro eundo ex castris Regijs ad Ciuitatem Lucæ, & inde redeundo ad sui beneplacitum per quascunque terras, & loca Sereniss. Ligæ nostræ. Qua propter mandamus omnibus & singulis gentibus armigeris nostris, & obedientiæ nostræ subiectis, ac officialibus & subditis quibuscunque excelsi dominij Florentinorum has visuris quatenus has nostras obseruent, & faciant inuiolabiliter obseruari sub pena indignationis nostræ & alia qualibet arbitrio nostro imponenda. Dat. in Castris felicibus Sereniss. Ligæ apud Lunam XXV. Maij MCCCCLXXVIII. sub fide nostri ducalis consueti minoris sigilli. Valituris præsentibus per decem dies proximè futuris dumtaxat.

Sigillo.

V. Paulan.

Dux Calabriæ &c.

A Tutti & qualsiuoglia Signori. Potestà. Capitanij et altri officiali de qualunche Città, terra, Castello,

lo, & Capitanei de guerra, & altri stipendiarij à chi la presente spetta & serrà presentata. Facemo noto come noi mandamo el Magnifico Albino nostro diletto familiare domestico per nostro Comissario à fare redure tutti fanti, & prouisionati de questo essercito in qualunche Città, terra, et Castello, ò luoco se trouarando qui in campo appresso noi. In però li amici, & confederati summamente pregamo, & rechiedemo, & li subditi della Santità di nostro Sig. & Regia paterna Maestà sotto pena de loro indignatione, & altra à nostro arbitrio reseruata expresse comandamo, che ad ogni rechiesta del detto Albino debiano prestare ogni aiuto, consiglio & fauore oportuno à questo effetto, & li detti prouisionati, & fanti ve debiano obedire quanto ala nostra propia persona, restituendo la presente al presentante. Dat. in Castri felicibus Pontificijs et Regijs apud Santum Gimignanellum die XII. Augusti. MCCCCLXXIX.

Alfonsus.

Sigillo.

Loisius pro Secret.

Nobili & diserto Albino apud Illustriss. Ducem Calabriæ amico Cariss. In Castris.

ALBINE Vir amatiss. Me rendo certo che pigliate piacere dela nostra reduttione in la patria,

perche cosi richiede l'officio dell'amico, et se hauete continuè sperato questo, è processo perche me hauete continue amato, & desiderato me succedesse bene. Me sono care le salutationi del mio Eccelentiss. S. Duca de Calabria, & molto più caro intendere de sua ottima conualescentia. Ve prego me recomandate spesso all' Eccell. sua. Mei figlioli cinque sono caualcati verso Romagna alli disegni della Santità del Summo Pontifice & dela Maiestà Regia, à tutti i comandi del Eccell. del S. Duca. Ne altro ce accade à uoi me offero. el S. Ludouico Duca de Bari ve saluta, & conforta assai, & ve hà sempre carissimo. Salerni 29. Octobris 1479.

Robertus Aragonius Sanseuerinas

Co. Caiacie &c.

Dux Calabriæ &c.

ALBINO dilecto nostro. Volemo come siate arriuato à Ferrara poi che hauerete dati li saluti alo Illustriss. Duca & Duchessa le farrite intendere la causa dela uostra andata à loro Signorie la quale e questa videlicet.

La S. sua hauerà inteso che per lo stato di Milano, et per Florentini con uoluntà del S. Re sono stati contenti dareni LX milia ducati in tempo de pace, et centomilia in tempo di guerra, doue haue da contribuire la Maestà

del

del S. Re,et la Santità di nostro S. pro rata et dareni titolo de Locotenente generale,la quale cosa fin quì,noi non hauemo uoluto astringere,per fin che fosse data conclusione al titolo,et honore di sua S. lo quale desideramo quanto el nostro proprio. Et intendendo noi chel non seria titolo che seli potesse dare conueniente ala dignità soa,altro che quillo intendiamo pigliare noi de Locotenente generale, atteso chel non se poria ne seria ragioneuole leuare el titulo all Illustriß. Duca d'Vrbino de Capitanio. Volemo che li fate intendere questa nostra voluntà perche quando sua S. se ne contenterà come credemo, cerchere mo trattare la cosa, & speramo farla venire al debito fine. Et perche intenda soa S. lo titolo & dignità del Duca d' Vrbino non hà da essere sopra del suo, ne lo suo sopra quillo del Duca d'Vrbino attento che l' vno non hauerà à fare con l'altro. perche quando à guerra se venesse, el non faria al proposito che lui, & noi, & lo Duca d' Vrbino hauessemo da gouernare vno essercito, che sempre se reparterà in dui. In l' uno sarremo noi, et lo Duca d' Vrbino, & in l' altro serrà lui. O' uero lui, & noi saremo in vno, & lo Duca d' Vrbino in vn' altro. Et cosi l' una dignità, & titolo non hauerà da derogare l' altro per la causa preditta. Et per questo ni pare che soa S. hauerà bonissimo titolo, che altro non ne saperiemo trouare più digno. Et sel vede che à noi se donaua ditto titolo,et noi à complacen-

tia

tia dela S. sua & per lo amore grande li portamo simo contenti, & volemo lo habia la S. sua. Et in questo ue allargarite secondo à bocca ve hauemo parlato, & commisso.

Volemo che facciate intendere à ditto Illustriss. S. Duca che lo pregamo quanto possemo che voglia continuamente tenere ben confortata quella Illustriss. Duchessa de Milano & Consiglio ala amicitia & intelligentia del S. Re, fandoli intendere quanto quillo Regno paterno è atto ala denfesione, & conseruatione de quillo Stato, & cosi quillo Stato ala denfesione & conseruatione del Regno, & sempre che serrà vera intelligentia, vnione, & amore fra la Maestà del S. Re & loro S. sempre sterando bene, & fora de spese estraordinarie, & securi nel Stato, che essendo fra quilli poca intelligentia ò diuisione, sequeria lo contrario effetto. elche simo certissimi che dala banda del S. Re se trouarrà sempre amore fede, & sencierità perfetta. & cusi si è da sperare dala banda de loro S. Et à questo astringerete lo ditto S. Duca chel voglia fare con ogni destreza. Et volemo che pregate lo ditto S. Duca, che essendo già tanto ragionato, et tanto auanti la facenda de ditta nostra prouisione, & per quilli Illustriss. S. tante volte & de tanto bona voglia offertani, uoglia la S. sua confortare ditta Illustriss. Madonna, & quilli S. à darece votiua conclusione per quello tocca ale S. loro & questa cosa

serrà

serrà facile à metterla ad effetto quando quilli Illustriss. S. dechiararando essere contenti dal canto loro. Et in questo ve allargarete come ue parerà necessario, & ne offererete ad sua S. et la persona, et le facultate in ogni tempo, el che faremo de megliore animo che non lo offeremo, et voi non parterete da li senza nostra licentia, dandoni voi continui auisi de ogni cosa. Dat. Bonconuenti die XVI. Aprilis MCCCCLXXX. Alfonsus.

Sigillo.

Antonucius Pilosus pro Secret.

HERCVLES Dux Ferrariæ Mutinæ & Regij, Marchio Esten. Rodigijque Comes etc. Serenis. Ligæ Locumtenens ac capitaneus generalis. Cum spectabilis ac generosus amicus noster dilectissimus Albinus de Regno Neapolis Secretarius Illustris. fratris, & cognati nostri honorandi domini Ducis Calabriæ qui pluribus mensibus fuit apud nos reuertatur ad præfatum dominum Ducem Rogamus ob id, affectuosè dominos patres, fratres, amicos, beneuolosque nostros quibus hæ nostre fuerint exhibitæ quatenus ipsum Albinum Secretarium præsentium latorem cùm ad eorun Urbes, Castella, terras, territoria, Portus, Pontes, Passus, & loca quæcunque proficisci contigerit cum sua comitiua vsque ad numerum septem personarum, tam equitum, quàm peditum, suisque armis, Valisijs, bulgis, Capsis

sis, forzerijs atque fardellis, cum suis pannis, vestibus argentarijs, libris, tapezarijs, & omnibus alijs suis quibuscunque rebus super uno aut duobus mulis oneratis suprascriptis rebus diu noctuque, & tam per terram quam per aquas, et sine solutione alicuius datij passus transitus vel gabellæ, & omni alio impedimento remoto liberè & expeditè transire permittant, habentesque ipsum nostro respectu propitiè, et fauorabiliter comendatum, prouideantque sibi de libero, et securo transitu, saluoconductu, et idonea scorta si opus fuerit, et ipse duxerit requirendum. In qua re nobis summopere complacebunt, et sibi ex eo uolumus ad maiora obligari. Officialibus, et subditis nostris, et passuum, & locorum nostrorum quorumcumque custodibus strictè sub pœna indignationis nostræ mandamus, vt præmissa omnia & singula obseruent, & obseruari faciant inuiolabiliter, in terris, & locis nostris. Valituris præsentibus vsque ad nostræ beneplacitum voluntatis Dat. Ferrariæ in nostro Ducali palatio anno natiuitatis Domini nostri Iesu Christi. MCCCCLXXX. inditione XIII. die trigesimo mensis Maij sub nostri soliti maioris impressione Sigilli

Sigillo. *Fran.*

Mag.

Mag. viro Ioanni Albino Oratori nostro dilectissimo.

Dux Calabriæ &c.

ALBINO dilecto nostro. Hauemo receuuta la lista è venuta de Milano dele condutte. Trouamo che offereno pagare ala conducta nostra XIX milia ducati che si à XX milia non ce manca se non mille ducati, che tanto manco fatica hauerite de ottenere la cosa che lo Illustriss. S. Duca de Ferrara operi che in ogni modo quella Illustriss. Madonna de Milano se contenti de contribuire per XX milia ducati, & in questo hauite à fare ogne istantia, & con Francesco Belmonte che ne scriua et astrenga M. Gabriele Tassino, & per questa cagione non bisogna portare lettera de credenza ad Antonio Tassino in persona vostra, ne meno del Secretario, & quella lettera che portati à ditto Secretario che parlaua de offerire li cinquecento ducati la brusciati che non bisogna mandarla, ne meno ue bisogna direne mutto al Duca de Ferrara, perche non bisogna se li offerano detti cinquecento ducati, solum lo pregati voglia scriuere ala Duchessa, & ad Antonio Tassino, et alo Duca de Bari, & à chi li pare che omnino se ottenga che ditta Illustriss. Madonna contribuisca per li XX milia ducati che come è detto già che ne offereno XIX milia

sicche con ogni destreza ve portate in questo fatto. Dat. in Regijs paternis felicibus castris prope Bonconuentum die XVIII. Iunij MCCCCLXXX.

Alfonsus.

Antonucius Tilosus pro Secret.

Quello che voi Albino hauete da esseguire da nostra parte come ferrere in Fiorenza, & de inde in Milano.

IN primis ferrete con lo mag. Lorenzo, & con li Otto della prattica in Fiorenza, & li farete intendere, che da quello giorno che fò parlato, et nominata la condotta nostra in LX milia ducati in tempo de pace, et centomilia in tempo de guerra sempre tenemmo per certo che la excelsa communità, & Sig. di Fiorenza ci hauesse à contribuire per terzo come già per lo mag. Sforza Bettini sempre ni fò affirmato & promesso: lo quale terzo intendeuamo, & intendemo essere XX milia in tempo di pace, et XXXIII milia et terzo in tempo di guerra, & cosi pregareti detto mag. Lorenzo, et detti mag. Otto de la prattica se voglíano contentare, & farni osseruare, & non hà da obstare chel stato de Milano non responda si non à XIX milia ducati in tempo de pace, perche quello migliaro lo stato de Milano non lo haueno differito per altro, excetto per causa dela condutta

delo

delo Illustriss. Duca de Ferrara, & in questo hà remediato lo S. Re, che quello migliaro ne lo dona la Maestà sua, & ancho lo crescimento per lo tempo de guerra, perche la prouisione venga ad essere al numero dela promessa de LX milia in tempo di pace, & Centomilia in tempo de guerra, et però detti S. Fiorentini uogliano contentarse de respondere del terzo loro tanto in pace come in guerra, et scriuere à loro Oratore à Napoli che prometta, & faccia le debite obligatione per detta quantitate, & che scriuano bene chiaro, & ne hauerite copia, & nela mandarete: fando loro intendere che la Maestà del S. Re vltra lo detto migliaro, et crescemento ne dona integramente li XX milia dela rata soa in pace, & li XXXIII milia & terzo in guerra, et quantunche per li nostri in lo stipulare, et concludere dela liga in Napoli fosse contraditto, fin che detta nostra conducta fosse chiaramente conclusa per causa dela differentia in quella fatta per lo Oratore Fiorentino la Maestà del S. Re per non dare piu Vmbreza al stato de Milano uol se se concludesse detta liga, et confidandosi, et tenendo per certo che i S. Fiorentini per ogni rispetto non fariano diffi cultate alcuna al detto loro terzo integro che le tocca hauendolo gia offerto, et promesso come desopra è detto, non potriamo mai credere che detti S. Fiorentini uogliano usare con noi in persona propria altro che quello sempre ne hauemo tenuto per certo hauere ad contribuire ut supra.

Item farrite intendere al mag. Lorenzo & alli Otto che nel concludere dela nostra conducta fò demandato per li Oratori che noi fossemo obligati tenere certe gente d'arme, doue fò resposto per lo S. Re che non era conueniente che la persona nostra fosse obligata come altri Capitanij à tenere gente d'arme, ma che per questo non volia differire la conclusione de Liga, et che lo remettia à iuditio del Stato di Milano, & de S. Fiorentini etc. & però pregarite detto Lorenzo, & S. Otto non uoglia no che nui siamo obligati à tal cosa, che saria poco nostro honore, perche non è da dubitare che hauendo noi à caualcare menaremo con noi per la reputatione et dignità nostra più gente de quelle noi fossimo obligati tenere, & in questo non solamente S. Fiorentini acquiescano, ma uolimo che per lo amore ni portano ne scriuano à Milano in bona forma, fando intendere la uoluntà loro &c. & lo mag. Lorenzo ce mandi uno homo suo una con uoi à confortare quelli S. à non volere da noi la obligatione preditta, dicendo à detto Lorenzo che questa cosa uolemo la conduca lui alo desiderio nostro, come da lui confidamo.

Item fatto el retroscritto, & datone auiso particolare de ogni cosa ue confererete ad Milano, & farrete con lo mag. Antonio Gazo, & li farite intendere la causa dela vostra annata, & pigliarete lo inderizo da lui come ve hauerete da gouernare tanto con

la

la Illustriss. Duchessa, come con lo Illustriss. Duca de Bari.

La causa della andata nostra è questa che essendo recercato per lo Oratore Ducale in Napoli nello concludere dela nostra conducta, che hauessemo da tenere certo numero de gente d'arme, et la Maestà del S. Re respose che non era conueniente alla dignità nostra che noi fussemo constritti ò obligati à tenere gente d'arme come lì altri Capitanij etc. & che questo sua Maestà lo remettia al iuditio del stato de Milano, & de S. Fiorentini. Et perche non ni pare cosa conueniente, ma fora de ogni honestà, che nui habiamo ad essere obligati à tenere gente d'arme come l'altri Capitanij, attento che quando bene nui non ne volessemo tenere non lo pateria la honestà, la reputatione, ne la dignità nostra, & è cosa manifesta, che hauendo da caualcare la persona nostra non poriamo leuare tante poco gente con noi, che non fussero molto più de quelle fossimo obligati per conducta, & per questo pregarite quelli S. non uoglino da nui obligo alcuno, ma lassareni con la libertà nostra, che speramo serando da nui talmente seruuti de detta condutta che loro uenerà uoglia donarni magior summa che non ce hanno promesso, & questo speramo farlo vedere per esperientia &c. & in questo ue allargarite secundo lo bisogno, et de tutto dietim ni darete auiso perche possamo prouedere al bisogno, & farite scriuere ali loro Oratori largamente

te

te, & ne mandate copia à noi. Et si per caso non potessiuo ottenere che nui non hauessemo à fare detta obligatione, uolimo ottengate che habiamo solamente à tenere CC. homini d'arme in tempo di pace, & tricento in tempo de guerra, & non più, et questo direti quando uederite per niente possere fare altro, & quanto farite ne auisariti, & fati se scriua chiaramente ali Oratori, & ne mandarite copia di quello che scriuerando circa lo soprascritto Data Senis die II. Augusti 1480.

Sigillo. *Alfonsus*

Antonucius Pilosus pro Secret.

Mag. viro Ioanni Albino familiari atque Oratori nostro Carissimo.

Florentiæ.

Dux Calabriæ &c.

ALBINO dilecto del S. Re, & nostro. Hauemo inteso quanto per le vostre de XXV. & de XXVI. del passato ne scriuete particolarmente dele occorentie da loco ilche ne è grandemente piaciuto, & restamo de vui bene informato, et satisfatto, & cosi ue confortamo à continuare, & ne marauigliamo dicati che da nui non habiate mai hauuto resposta, però che ale vostre hauemo comandato sempre se gli risponda, et

cosi

cosi ne persuademo sia stato fatto. Respondemo solamente al necessario ommittendo le parte generali. Circa la restitutione dele Terre che vui non ignorati la Maestà del S. Re hauere optima voluntà in contentare questa excelsa Repu. et lo mag. Lorenzo, ma per essere quella da ogni canto dela importantia che è bisogna fare le cose con el tempo, & speramo ala sapientia de sua Maestà redurà ogni cosa ad porto sicche circa questa parte confortarete quelli mag. S. & anco lo mag. Lorenzo ad stare de bono animo, quantunche auante lo receuere de questa ne persuademo per M. Troiano quale è stato mandato per detta Maestà per la espeditione de detta restitutione hauerà fatta alcuna effettiua executione ad contentamento de questa excelsa Repu. dela quale in vero desideramo ogni aumento, & honore.

Circa lo vostro stare ò partire, laudamo quanto hauete fatto per voluntà del mag. Lorenzo, & de M. Marino Tomacello, & cosi farite per lo aduenire non hauendo però altro in contrario da la Maestà del S. Re, ò da M. Mazzeo per parte de quella, che non sommo ne stamo in dubio che esso Lorenzo habia non meno cura, et diligentia dele cose nostre che dele soe proprie come già per probata esperientia ne ha fatto sempre vedere.

Deli progressi de questo felice esercito, & nostri ve auisamo che simo qui in campo presso Otranto otto mi-

glia con deliberatione uenuti ſerando certe fantarie ſpettamo andare ala obſidione de quella, la magiore parte del' Armata turcheſca ali XXVII. del paſſato è leuata dal porto de Otranto & tirata verſo la Velona, & l'armata Regia quale per mal tempo ſe trouaua in detta giornata in Brindiſi li è andata ad trouarla, et fandoce Dio gratia che la agionga ſene ſpera la Vittoria, dela quale & de altri ſucceſſi ue farimo auiſato perche ne facciate participi quelli mag. S. & anco eſſo mag. Lorenzo quali ſalutarete da parte noſtra. Dat. in Caſtris felicibus regijs paternis apud Rocham die IIII. Nouembris MCCCCLXXX. *Alfonſus.*

Loiſius de Caſali nouo pro Secret.

Mag. viro Ioanni Albino Oratori noſtro Cariſs.

Dux Calabriæ &c.

ALBINO dilectiſſimo noſtro. Hauemo receputa la voſtra de XXVI. del paſſato, ala quale reſpondimo che ſi non ue, è ſtato ſcritto, & reſpoſto alle lettere voſtre ſin qui, è ſtato el defetto del noſtro Secretario, perche nui ſempre hauimo commiſſo ve ſia reſpoſto ale lettere voſtre, & anco dato auiſo deli progreſſi noſtri di quà, ſicche condoliteui de lui, & non de nui.

Ad quello ne ſcriueti dela bona reſpoſta ve ha fatta

lo

lo mag. Lorenzo circa la esattione deli denari dela conducta nostra hauemo hauuto piacere, & lo ringratiarete da nostra parte, et ne piacerà molto più quando ne scriuereti hauerli receputi. Hauimo hauuto ancho piacere dela contentezza hà pigliata questa Repu. dela restitutione de le Terre, dela quale non doueano stare in dubio, perche la Maestà del S. Re sempre fù de quella voluntà, salutaretenci da nostra parte quessi S. dela prattica ali quali ne offerereti ad ogni loro honore et piacere.

Da quà non è altra noua excetto che essendo partuta l'Armata del Turco da Otranto, la Armata del S. Re li è andata ad trouarla, & speramo che incontrandose ne farà sentire noua prospera, delche sequirà sereti auisati. Dat. in Regijs paternis felicibus Castris apud Rocham die VII. Nouembris MCCCCLXXX

Alfonsus.

Antonucius Pilosus pro Secret.

Mag. viro Ioanni Albino Oratori nostro Carissimo.

Florentiæ.

Dux Calabriæ &c.

ALBINO diletto del S. Re et nostro. Hauendoue fatto risposta à tutte vostre lettere non ne accade direui altro di nuouo si non che ue auisamo come

Z simo

ſimo quà et andamo con lo nome di Dio ad Fogia ad trouare lì la Maeſtà del S. Re per abboccarene con quella, con la quale pigliarimo appuntamento circa lo ultimare de queſta Impreſa, et hauere la fantaria neceſſaria per andare ad accamparence contra Otranto, che ne deliberamo con lo adiutorio di Dio omnino queſta Inuernata finire queſta Impreſa. Dat. in Caſtello Regio paterno Ciuitatis Oria XV. Nouembris MCCCCLXXX.

Alfonſus.

Antonucius Piloſus pro Secret.

Mag. viro Ioanni Albino familiari & Oratori noſtro dilecto.

Florentiæ.

Dux Calabriæ.

A*LBINO dilecto noſtro. Noi hauemo receuuto più & aſſai lettere voſtre del proſſimo paſſato, & grandemente ne è piaciuto lo particulare auiſo ne hauete donato per quelle, & non ve reſpandemo altramente, ſi non che noi ue mandamo l'altra noſtra alligata in queſta, la quale porrete moſtrare ad queſſi S. & ſi per cauſa de quella ſe moueranda ad fare alcuna effectiua demoſtratione per la noſtra prouiſione bene quidem, & quando non, ſtato che ſerrite tre ò quattro giorni*

ni ve ne porrite venire & lassare lo mandato in potere del mag. Marino Tomacello, & si puro ditti S. volessero fare fatti, & non parole, ce ne auisarete, sicche vui cognoscete bene che stando loco senza effetto serria mancamento ala reputatione nostra, farrite quanto ue scriuemo. De occorrentie di qua ue auisamo come continuo attendemo fare ogni diligentia per lo andare ad Campo ad Otranto & speramo serrà per la prima ò secunda septimana del prossimo de febraro, & à questo effetto simo venuti fin qui à Matera, & posdomani partiremo per Leccie verso Otranto per mettere ad executione le cose bisognano che già lo apparato è fatto, & speramo in Dio fare questa Impresa dal dire al fare, però che tale è lo bisogno & hauerne honore. De quello sequirà ue ne donaremo auiso Dat. in Ciuitate Matere XIII. Ianuarij MCCCCLXXXI.

Alfonsus.
Loisius de Casalinouo pro Secret.

Al Mag. & mio amato come figlio
Gioanni Albino.

In Fiorenza.

MAG. et mio amato come figlio. La cagione dela presente è per respondere à doe vostre hò recepute con vna ne scriuistiuo al S. Duca in di passati,

 et pri-

et primo per vostra ordinatione apersi quella del S. & comunicatala quà in consigli ad quisti S. hebero piacere del uostro auiso cosi particolare, & bono, & præsertim dela resposta in scriptis fece questa Signoria al Oratore Ducale circa la demanda del subsidio del S. Re et conducta del S. Duca, & ordinarome de continente ne facesse la copia & mandassela al detto S. et che fosse uista per la maestà del S. Re, & l'originale mandasse in Roma ad M. Anello acciò che ne hauesse notitia la Santità di nostro S. & cosi exequiuo di continente. Lo auiso fò presto et importante, & molto piaze à quisti S. et certo uende comendaro assai. Hauendo da stare loco ue exorto ad prosequire et perseuerare li auisi de qualsiuoglia occorrentia sia.

Circa lo stare vostro da loco non ve scriuo altramente, perche non dubito al recepere dela presente haurete hauuta la lettera del S. quale ue ordinaua ve deuissiuo licentiare da questa Signoria & uenirnende, detta lettera ue mandò Andrea de Gennaro con altre soe prima che partesse da qua con lo S. Re la via de Puglia. Altro non me occorre digno de auiso: lo S. se troua in Oria, stà bene con tutti li soi, lo S. Re prosequisse lo camino de Fogia secundo fò ordinato, quà se attende ad fare onne appresto per lo accampare de Otranto, et cacciare lo Bassà con quella canaglia ce sono dentro, Da quà merce à Dio stamo bene excepto M. Gio. Peri ha-

ue

ue una poca de doglia de testa, & alle volte febre, non serrà niente Neap. 11. februarij. 1481.

Lo vostro come patre
Mazeo Ferrillo.

Al nostro caro & amatissimo Albino
Florentie.

ALBINO *Rispondendo ala vostra de XXIII. dicemo che stimemo molto bene ue siate dolorato tutto dela mala nouella hauete sentito deli nostri per lo infortunio hanno hauuto dali turchi, Dio sia laudato del tutto, la cui clementia preghemo si degni hauere riguardo al bisogno di Cristiani, & non guardi à nostri peccati. Et acciò che siate informato come passa la cosa vi notemo qui di sotto le formale parole che hauemo inteso da Cassadora nostro per vna sua data Fogie XI. di febraro. E quà nouella vera come à di sette di questo essendo certa quantità di turchi vscita da Otranto, & andati per correria à Santo Pietro sul lito, fattone auisati quelli S. subito si miseno insieme, & andorno à trouare detti turchi, & trouatili, tutti quasi li ammazorno, et preseno, & ruperno, essendo perciò ancora deli nostri ammazati. Et volendo poi el Conte Giulio redure in saldo la preda ò per altra cagione se fusse, partitosi già con quasi tutta la gente, & essendo la*

nouella

nouella in Otranto dela morte presonia, & fuga di deti turchi, quelli dentro ò vna bona parte vscirno fuora, et trouorno detto Conte Iulio non forte di gente, & in effetto lo hanno morto, & ancora più altra spetialità non si hà, ma questa cosa tanto dispiace & graua ala Maestà del S. Re per essere quello Conte Iulio il più reputato Capitanio che forse hauesse che non lo potria scriuere, et quello se sentirà per oltre ne auisarò vostra Excelentia.

El S. nostro consorte che è à Mantoa in questo proposito ne manda copia de vno capitolo de vna lettera che detto nostro Imbasciatore de una sua lettera scritta à sua Excelentia che è data à Fogia à di XI. di questo & dice cosi.

